PALAESTRA

LATINA

ANN. XXVII (Fasc. IV) — N. 160
M. DECEMBRI A. MCMLVII

www.culturaclasica.com

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum Latinarum commentarii BARCINONE edendi

Commentariorum pretium: in Hispania et America, 50 ptarum.
in reliquis civitatibus, 65 ptarum. vel 2 $

Pretium PALAESTRAE ADULESCENTIUM: in Hispania, 15 ptarum.; extra Hispaniam, 20 ptarum.

Pretium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 - BARCELONA
vel ad PROCURATORES singularum nationum
Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

INDEX

ANN. XXVII (Fasc. IV) N. 160
M. DECEMBRI A. MCMLVII

L. M. SANSEGUNDO, *De Julio Caesare viro litterato* 189
A. AVENARIUS, *Ad M. Tullium Ciceronem oratio* 196
N. MANGEOT, S. J., *Uter maior fuerit Ulixes an Aeneas?* 200
AE. ORTH, *De vita Galeni medici.* 202
J. C. PULCHRIMONTANUS, *Lingua Latina quanti necessario habeatur.* 204
J. FÁBREGAS, *Pio XII Summo Pontifici* 207
A. PACITTI, *O diurnarios, lepida capita!* 208
FR. ALOISE, *Funere mersit acerbo —Ad Vergilium* 216
J. HOLZER, *Nova et Vetera: De taeniludio* 217
A. AVENARIUS *Epistularum inter socios commercium* 226
J. MIR, *Ad proposita ab Avenario verba respondetur* 227
J. SIDERA, *Per Orbem* 229
J. SIDERA, *Collectanea* 233
BIBLIOGRAPHIA, Jiménez, Marqués, Philoponus, González, García, Aspa, Sidera 235
PALAESTRA ADULESCENTIUM:
Aulus scholam convenit 241
G. MARIMON, *Cives, en prunus omnium vestrum!* . . . 242
Romulus urbis et Imperii conditor 246
BELTRAN, AZTARAIN, LEATHAN, *Epistulae dantur inter alumnos* 248
FRANCO, O. F. M., *Carmen laudatorium* 250
CODINA, TORNER, *Miscentes utile dulci* 250
GAITAN, *Quid hoc anno a Magis suo festo die exspecto* . 251
A. ANDRES, *Aenigma verborum* 252

www.culturaclasica.com

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

ANN. XXVII (FASC. IV) — N. 160 M. DECEMBRI A. MCMLVII

De Julio Caesare viro litterato

Quamquam in his Commentariis, anno superiore [1], Dr. Aemilius Orth de vita Caesaris scite et erudite disputavit, tamen ex re fore putavi, si quae ille pro suo instituto praetereunda duxit, ea nimirum pro meo modulo delibarem. Itaque, ne actum agere videar, animus in primis est paucis commonstrare Romanum illum imperatorem, non solum de re tum publica tum militari optime meruisse, sed etiam, una cum Tullio, in litteris atque bonarum artium studiis aeternum sibi nomen comparasse.

Ejus vitam e veteribus tradunt Plutarchus, Dio Cassius, Suetonius, Julius Celsus. Quo fit ut tanti viri res gestae plane et ad unguem nobis innotescant.

Cajus Julius Caesar incredibili ingenii animique vi pariter ac rerum gestarum magnitudine clarissimus, Cicerone sex annis natu minor, ex nobilissima Juliorum gente anno ab U. C. circiter DCLV natus patre Julio, matre Aurelia. Ducebat autem Juliorum familia originem a Julo, Aeneae filio [2]. Diruta autem Alba, cum eam familiam Tullus Hostilius Romam transtulisset, florebat illa per omnia Romanae Reipublicae tempora, summis honoribus insignis [3].

Praeceptore usus est M. Antonio Gniphone, quem ipse Cicero, cum praetura fungeretur, dicitur frequentare solitus [4] Gnipho, vir undequaque peritissimus, domi continuo et diligentissime litteris ingenuis virtutibusque Julium imbuere sategit. Qua quidem saluberrima institutionis cura et felicissimo naturae ipsius beneficio evasit Caesar omnium paene civium Romanorum excellentissimus, animi vigore acerrimus, magnitudine incomparabilis.

---

1. Cfr. Dr. EMIL ORTH «*De Caesare*», PALAESTRA LATINA, 26 (1956) 16 sqq.
2. AUREL. VICT. *Origin. Gent. Romanor.* 15, 2. VELL. PATERC. 2, 41.
3. Cf. ANT. BAUMSTARR, *C. Julii Caesaris Commentarii*, p. 13. Stuttgartiae, 1938.

www.culturaclasica.com

Multa mitto, quae ad nostrum argumentum momenti nihil habent, quaeque, ut reor, non sunt perspecta nemini. Ad rem siquidem mihi propositam magis propero.

Porro, de Pompejo ejusque partibus victoria parta, insignibus est auctus honoribus. Romam victor ingreditur [5], «pater patriae» una omnium voce proclamatur; creatur in decennium consul, deinde in perpetuum dictator [6]. Decernitur, ut habeatur sacrosanctus, ejusque nomine mensis Quintilis appelletur Julius. Quin etiam sancitur ut comitia tributa in potestate habeat inque ejus acta, qui magistratus auspicentur, jurent. Tum denique, summa rerum potitus, nomine imperatoris honestatur [7].

Jam vero, cum senatum remque publicam ex arbitrio moderaretur, conjuratione eorum, quibus patriae libertas curae cordique erat, Idibus Martiis ab U. C. DCCX, aetatis quidem LVI, in ipsa Curia Romana, juxta Pompeji statuam, vulneribus confossus periit. Post mortem, in deorum numerum summo Quiritium consensu relatus, maximis honoribus extollitur [8].

Ejus indoles et natura

Homo erat praecipuo quodam munere naturae ad summa quaeque natus. «Fuisse traditur excelsa statura, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetisque oculis, valetudine prospera. Circa corporis curam morosior fuit, ut non solum tonderetur diligenter ac raderetur, sed velleretur etiam —ut quidam exprobraverunt—, calvitii vero deformitatem iniquissime ferret saepe obtrectatorum jocis obnoxiam expertus» [9]. Ideoque et deficientem capillum revocare a vertice adsueverat et ex omnibus decretis sibi a senatu populoque honoribus non aliud aut recepit aut usurpavit libentius quam jus laureae coronae perpetuo gestandae [10]. Ad haec, vini parcissimum ne inimici quidem negaverunt [11]. Eloquentia vero, ut infra dicemus, aut aequavit praestantissimorum gloriam aut excessit.

«Armorum et equitandi peritissimus, laboris ultra fidem patiens erat. In agmine nonnumquam equo, saepius pedibus anteibat, capite detecto, seu sol seu imber esset. Longissimas autem vias incredibili celeritate confecit».

---

4. Sueton. *De illustr. Gramm.* 7; Macrob. *Saturn.* 3, 12; Quintil. 1, 10, 2.
5. Plutarch. *C. Julius Caesar*, 64, 2; Vell. Paterc. 2, 56, 3.
6. Dio Cass. 44, 8 et Livius, *Epit.* 116.
7. Sueton, *Divus Julius*, 80, 1. Plutarch. 64, 6.
8. Dio Cass. 44, 19, 3; Cic. *De Divin.* 2, 9. Lege in primis quae Plutarchus fuse lateque scribit de morte Caesaris in *op. mem.* 66 et 67.
9. Suet. 45, 1.
10. Id. 46, 2.
11. Id. 53, 1. Plutarchus autem dicit: «...nemo enim, ut perhibent, imperator illo minus dormivit, aut plus vigiliae temporis impendit» (*Op. laud.* 69, 3).

www.culturaclasica.com

Si flumina morarentur, nando trajiciebat vel innixus inflatis utribus, ut persaepe nuntios de se praevenerit. In obeundis expeditionibus dubium cautior an audentior. Quid plura? Ne religione quidem ulla a quoquam unquam incepto vel absterritus vel retardatus est» [12].

«Studium et fides erga clientes ne juveni quidem defuerunt. Masintham nobilem juvenem, cum adversus Hiempsalem regem tam enixe defendisset, ut Jubae regis filio in altercatione barbam invaserit, stipendiarium quoque pronuntiatum, et abstrahentibus statim eripuit occultavitque apud se diu, et mox ex praetura proficiscens in Hispaniam inter officia prosequentium fascesque lictorum lectica sua avexit» [13].

Moderationem vero clementiamque cum in administratione tum in victoria belli civilis admirabilem exhibuit. Hanc quidem erga victos humanitatem Cicero in sua oratione pro Marcello pulcherrimo mactavit elogio [14]. Amicos, insuper, tanta semper facilitate tractavit, ut Gajo Oppio comitanti se per silvestre iter correptoque subita valetudine deversoriolo, quod unum erat, cesserit et ipse humi ac sub divo cubuerit. Jam autem rerum potens, quosdam etiam infimi generis ad amplissimos honores provexit [15]. «Simultates contra nullas tam graves excepit unquam, ut non occasione oblata libens deponeret» [16].

Sed jam pro nostra instituti ratione, de viro, ut dixi, litterato praecipua leviter attingamus.

Julius caesar bonarum artium studiis in primis expolitus

Ac primum quidem nemini mirum videbitur, illum qui, multiplici instructus doctrina, fastos jam pridem vitio pontificum per intercalandi licentiam turbatos corrigeret, annos ad solis cursum dinumeraret, Calendarium, hodie quoque Julianum vocatum, conficeret, jus civile ad certum modum redigeret —ut ab ipso Cicerone maximum humani ingenii culmen et naturae quoddam quasi miraculum et τέρας nominaretur [17]—, alios etiam, quos ingenio scriptisque excellere videret, suspexisse, favore prosecutum esse ac beneficiis cumulasse. Quamquam enim Caesar in universum gratissimo animo et amicissimo erat, longe tamen maxima ejus fuit erga litteratos benevolentia. Omnes igitur liberalium artium doctores Romana civitate donavit [18], ipseque, cum maximam haberet in civitate et potentiam et auctoritatem, in poëtarum

---

12. Suet. 57, 1.
13. Id. 71, 1.
14. Lege praesertim paragraphos 2, 6-7 et 3, 8-9 istius elegantissimae orationis.
15. Suet. *Op. laud.* 72, 2. Plutarch. 44, 7.
16. Suet. 73, 1.
17. Cic. *Epist. ad Attic.* 8, 9, 3.
18. Suet. 42, 2.

www.culturaclasica.com

collegium adscisci voluit, et infra multos in illorum ordine sedebat [19]. Bibliothecas tum Graecas tum Latinas, quam instructissimas et maximas posset, publicari jussit, data M. Varroni libros summo etiam pretio undequaque colligendi potestate [20].

Florebat autem ipse ea eloquentiae laude, ut Cicero [21] negaret se videre, cui Caesar deberet cedere, diceretque eum elegantem, splendidam, magnificam et generosam quodammodo rationem dicendi tenere. Pronuntiabat enim voce acuta, ardenti motu gestuque, non sine venustate; neque dubitavit in forum prodire et more solito clientium causas tanto agere studio atque alacritate, ut post accusationem Dolabellae primariis patronis adnumeraretur [22]. Unde idem Tullius —Suetonio teste [23]—, ad Cornelium Nepotem de eodem ita scripsit: «Quid? Oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? Quis sententiis aut auctior aut crebrior? Quis verbis aut ornatior, aut elegantior?» [24]. Quocum egregie consentit Quintilianus: «C. Julius Caesar si foro tantum vacasset, non alius ex nostris contra Ciceronem nominaretur. Tanta in eo vis est, id acumen, ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quam bellavit, appareat» [25].

Vigorem ejus animi praestantissimum et paene divinum praedicare vel demirari satis non potuit Plinius [26], qui scribere eum tradit, et legere simul, dictare et audire solitum esse; epistulas vero tantarum rerum quaternas pariter librariis dictare, aut, si nihil aliud ageret, septenas. Ad rem faciunt illa Blesensis: «Vidit quandoque Dominus Cantuariensis, et vos ipsi cum eo, multique alii, me de diversis materiis tribus dictare scriptoribus, et uniuscujusque calamo festinanti satis facere; meque, quod de solo Julio Caesare scribitur, quartam epistulam dictare et scribere. Quod si alicui res in dubium venit, facti, quaeso, experientia faciat dicti fidem» [27].

---

19. Val. Max. 3, 7, 2. Dio Cass. 33, 6.
20. Suet. 44, 3.
21. *De Clar. Orat.* 261. Cf. Suet. 55, 2.
22. Val. Max. 8, 9, 3.
23. *Op. mem.* 55, 2.
24. Orationes autem Caesaris —quae quidem deperditae sunt— a Fulv. Ursino et Petr. Scriverio collectae ac recognitae, hae sunt: 1 *Divinatio*, 2 Qua Cn. Dolabellam annos natus unum et viginti insecutus est, quam cum admiratione lectam scribit auctor de Causis corruptae eloquentiae, cap. 34; 3 *Pro Decio Samnite*, 4 *Pro Bithynis;* 5 *Pro lege Plautia;* 6 *Pro Sextilio;* 7 *De Conjuratis;* 8 *In funere Juliae.* Vide: Fabricii *Bibliotheca Latina.* tom. I, p. 250. C. Julii Caesaris Opera deperdita, IX.
25. Quint. *Inst. Orat.* 10, 1, 3. Cf. Cic. *Brut.* 72 et Val. Max. 8, 9, 3. Consule etiam Tacit. *Ann.* 13, 3.
26. *Nat. Hist.* 7, 25, 5.
27. Petrus Blesensis, *Epist.* 97, 3. Cf. Ger. Joann. Vossius, *De Historicis Latinis*, 1, 13. edit. Lugduni Batavorum, 1655.

www.culturaclasica.com

In scriptis autem ejus elucet ubique insignis puritas et elegantia[28]; in verborum structura ordo eaque facilitas, quae instar placidi fluminis procurrit; in sententiis gravitas et civilis prudentia, qua ipsum Xenophontem —quem sibi ex Graecis exprimendum sumpsisse dicitur[29]—, longe superavit. Cum vero brevitatem valde adamaverit, ita tamen pressus est, ut illustrius eo nihil fieri possit. «Valde quidem —inquit Brutus apud Ciceronem— probandi sunt, quos scripsit suarum rerum, commentarii. Nudi, recti, et venusti, omni ornatu orationis, tanquam veste detracta, sed dum voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volent illa calamistris inurere; sanos quidem homines a scribendo deterruit» [30]. «Habet enim Caesar —ut Tullium ipsum loquentem producamus—, peracre judicium, et splendidam quandam minimeque veteratoriam rationem dicendi tenet», ut ab Aulo Gellio «gravis linguae Latinae auctor» vocaretur[31]. Et ne mutum sinamus abire Hirtium, ejus quoque verba producenda nobis sunt. Qui adeo illum omnibus probari dicit, ut praerepta non praebita facultas scriptoribus videatur: «cujus tamen rei —addit— major nostra, quam reliquorum est admiratio: ceteri enim, quam bene atque emendate, nos etiam, quam facile atque celeriter eos commentarios perfecerit, scimus» [32].

Scripsit autem Caesar —ut nemo ignorat— varia, in quibus, qui adhuc exstant, primo loco ponendi sunt, ejus De Bello, quod cum Gallis gessit, commetariorum libri VII[33], itemque de bello civili Pompejano libri III. Sunt autem a Caesare ad usum commodiorem de se rebusque gestis conscripti, quos in praesenti pluribus ornare vel non placebat, vel non vacabat. Modestiae causa hoc nomine appellavisse videtur, ut significaret opus inchoatum, non perfectum neque omnibus numeris esse absolutum[34].

His accedunt, quae praeter fragmenta quaedam non sine litterarum

---

28. Fuerunt tamen, qui nihilo minus ejus puritatem addubitarent. Cf. FUNCCIUM, *De Vir. Aet. ling. Latinae*, 2, 8.

29. Cf. CIC. *Brut.* 75. Vide BAUMSTARR, *op. mem.* p. 18.

30. CIC. *loc. mem. Brut.* 75, 262.

31. *Noct. Att.* 4, 16, 2.

32. Quam ob rem Manutius eum historicis Latinis omnibus praefert, et noster Ludov. Vives adeo Caesaris Commentarios commendat, ut prima etiam aetate eos legendos existimet. Ceterum, ne Caesari quidem obtrectatores defuerunt, quorum agmen duxit Asinius Pollio, teste Suetonio, c. 56, 4 Cf. J. ECKARD «*De C. Asinio Pollione iniquo optimorum latinitatis auctorum censore*», Jenae, 1743, 4, p. 54 sqq.

33. Quorum singuli singulorum annorum res complectuntur. Hos septem de B. G. libros graece transtulit PLANUDES sive GAZA, sive quis alius.

34. SUET. 56, 3. De nomine, natura et ratione horum Commentariorum docte et eleganter egerunt quamplurimi, quos hic recensere inutile duco. Vide FABRICIUM, *op. mem.* tom. I, pp. 249 sqq.

www.culturaclasica.com

detrimento periere, ingenii Caesariani monumenta: *Orationes*[35], Epistulae[36], «*De Analogia libri duo*», ad M. Tullium Ciceronem, cui eos tanquam artis principi et Aristarcho suo dedicavit[37]. «*Anticatones*» sive Orationes duae, quibus veluti ad judices accusavit Catonem Uticensem, adversus Ciceronis librum, quo eundem laudibus ad caelum extulerat[38]. «*Dicta Collectanea*» sive *Apophthegmatum volumina*, quae Augustus vetuit publicari[39]. «*Libri auspiciorum*», quorum decimus sextus laudatur a Macrobio[40]. «*Auguralia*»[41]. Item «*De siderum motu*» eum scripsisse etiam tradunt, qui liber Latine an Graece scriptus fuerit, non satis constat[42].

Quid quod cum Musis etiam commercium habere voluit, et in mansuetiores artes magno opere incumbere? Jam diximus eum poëtas magni fecisse magnoque semper studio eos esse prosecutum, idque suopte motu et natura, non benevolentiae captandae causa. Immo eisdem, pro re nata, fautor et adjutor non semel exstitit. Itaque poëmata et ipse feliciter condidit, de quibus Auctor de Causis corruptae eloquentiae: «Fecerunt et carmina (Caesar et Brutus), et in bibliothecas retulerunt, non melius quam Cicero, at felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt»[43]. Ex his poëma «*Iter*» memorat Suetonius[44], et tragoediam «*Oedipum*», quam perinde ut «*laudes Herculis*» ab adulescentulo scriptas publicari Augustus vetuit. Asconius in oratione pro M. Scauro tragoediam Caesaris «*Julios*» memorat hisce verbis: «Idem inter primos temporis sui oratores et tragicus poëta admodum habitus est. Hujus enim sunt tragoediae, quae inscribuntur «*Julii*». Alia etiam vincta oratione scripsisse constat e Plinii 19, 8, 3 et Donato in Terentii vita[45]. Forcellinius autem in Lexico haec docet: «Fuit laude ingenii clarissimus, optimus orator, poëta etiam valde bonus»[46].

---

35. Cf. Suet. *op. l.* 55 sqq. Eas paulo superius recensuimus.
36. Epistularum libri ad Ciceronem, ad C. Oppium et Balbum Cornelium, ad A. Pedium, ad Pisonem, ad M. Antonium et ad Senatum Cf. Fabricius *op. supra laud.* tom. I. p. 269. Epistulas Caesaris laudat Appianus 2, 10. Cf. etiam Caes. *De Bell. Civ.* 3, 92, 3.
37. Gell. *Noct. Att.* 19, 8, l. Cic. *Brut.* 72.
38. Cic. *Top.* 25. Gell. *Noct. Att.* 13, 19, 2. Suet. *Aug.* 85, 3.
39. Suet. *Divus Caesar*, 56, 7. Cic. *Epist. ad Paetum* 19, 16.
40. Sat. 1, 16.
41. Priscian. *edit.* Krehl, tom. I, p. 278.
42. Macr. *Sat.* 1, 16. Cf. Fabricius *op. laud. ibid.*
43. Cap. 21. Cf. Suet. c. 56, 3.
44. Vide Suet. ibid.
45. Vide Joan. Ger. Vossius, *op. mem.* cap. XIII, p. 68 edit. cit.
46. In *Praefat.* Vide etiam *Onomast. s. v. Caesar.*

www.culturaclasica.com

Ex dictis patet, opinor, quam eximiam Caesar atque illustrem nactus sit naturam. Qui non solum domi militiaeque, verum etiam in republica litterarum immortalem nominis gloriam est consecutus. Non immerito cl. vir Ger. Joan. Vossius conqueritur quod Caesaris scriptis non plurimum, ut par est, deferatur, tantumque cortex, ut ita dicam, orationis, —non autem sententiarum vim atque copiam— in pretio haberi videatur: «Proh dolor! inquit, satis infrequens est (juventus) in nobilissimo atque adeo divino hoc scriptore. Aut si quibus in manibus sit, haud alio legunt fine, quam ob eximiam Romanae linguae puritatem verborumque proprietatem summam: super quo ante nos non semel summi viri sunt conquesti. Sane ex eo haurire est maximarum et utilissimarum rerum copiam: quam, qui verborum elegantia contenti, negligunt, minus etiam pueris sapiunt, qui numquam ita se arboris frondibus oblectabunt, ut egregios ejus fructus contemnant» [47]. Sic ille. Et re quidem vera, non modo sermonis nitorem lucidissimum sed rerum etiam mirabilem perspicuitatem nemo satis pro dignitate unquam laudabit.

Sed jam receptui canam, ut more militum loquar —egimus enim de milite bello spectatissimo—, et illos proferam versus qui sic eum laudibus efferunt:

Caesar tantus eras, quantus et orbis;
Et nunc exigua clauderis urna.
Posthac quisque sciat se ruiturum,
Et quod nulla mori gloria tollat [48].

Quibus non video quid verius, quid pulchrius dici possit. Evanuit quidem ejus ardor, vigor ille certe contabuit, abiit, inquam, vis illa corporis et defluxit. Nunc tantum superest ejus nominis gloria insignis. Quos olim cepit labores, quae scriptis quondam gesta mandavit nobisque reliquit, ea nomen ejus posteritati commendabunt omnium sermonibus celebrandum.

Leo M.ª Sansegundo, O. S. B.

47. Joan. Ger. Vossius. *De Historicis Latinis*, libri III, *loc. mem.* p. 72.

48. Hos versus in laudem Caesaris affert Baumstarr, *op. cit.*, p. 249, cum agit de Julii Caesaris fragmentis.

www.culturaclasica.com

Ad M. Tullium Ciceronem oratio

Non fas erat silentio praeterire alterum a caede M. Tullii Ciceronis millenarium, quin aliqua ab ejus admiratoribus fieret commemoratio.

Itaque finximus ipso die anniversario in honorem ejus celebrari coetum, et ab aliquo ante Ciceronis imaginem, ornatam coronis et floribus, his virum appellari verbis.

Duo hodie. Marce Tulli, impleta sunt annorum milia post illum diem, qui fuit a. d. VII Idus Decembres anni post urbem conditam 711, ante natum Christum 43, quo die dirus ille tribunus militum —cujus tu quondam vitam crimine parricidii periclitantem servaveras, ne verbo quidem lacessitus—, quod sibi a M. Antonio, triumviro (invito, principio, et resistente Caesare Octaviano), impetraverat abscissum ense Herennii centurionis caput tuum et manus quam maximis itineribus ab urbe Cajeta Romam portavit ipsius Antonii et Fulviae uxoris ejus turpissimis afficienda contumeliis; proque rostris unde vox tua toties insonuerat, affigenda: quod horrendum Romanis spectaculum illis quidem diebus nemo siccis conspiciebat oculis. Et fortasse necem evitaveras, nisi Philologus, Quinti fratris libertus, a te bonis litteris eruditus, irrumpentibus in villam sicariis dixisset lectica te per silvestres et opacas ambulationes deferri ad mare; evitaveras necem, nisi Popilius simulasset multitudinem militum subsequi alta voce nullos inclamans: «Tribuni qui in extremo sunt agmine ingrediantur!». Tum parati prius ad pugnandum pro te servi exspectantes majorem militum numerum, desperata jam victoria, decertare armis non sunt ausi; tu ipse —quis sine acerbo animi dolore commemoret?— tu ipse capillo demisso et macie ob sollicitudines confectus praebuisti Herennio percussori extra lecticam jugulum, obnubentibus plurimis —ne rem indignam atque crudelem cernerent—, capita, annos emensus sexaginta tres, menses undecim.

Itaque tanti stetit tibi amor patriae, quam tibi non semel dixeras vita esse cariorem; tanti stetit servavisse urbem et Italiam a caede et incendiis Catilinae acclamatumque esse patrem patriae; tanti stetit tibi opinatum esse homines reipublicae fatiscentis formam mutantes tuis consiliis et adhortationibus a suis studiis conatibusque retineri posse! Et vix exstinctus eras, cum reperti sunt, qui, parum cum perspicerent totius vitae tuae rationes ultimas, aut vulnerati essent orationum tuarum aculeis, aut invidiae pungerentur stimulis, de tua vita, fama, gloria detrahere studerent, aliis merita tua ad sidera tollentibus.

Et fortasse Deus O. M. animae tuae sentire dedit, quibus verbis Vellejus

www.culturaclasica.com

Paterculus septuaginta fere annis postea, narrata nece tua citavit M. Antonium. «Nihil tamen», inquit, «egisti, M. Antoni, mercedem caelestissimi oris et clarissimi capitis abscissi numerando, auctoramentoque funebri ad conservatoris quondam rei publicae tantique consulis invitando necem. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem sollicitam et aetatem senilem et vitam miseriorem te principe, quam sub te triumviro mortem; famam vero gloriamque factorum adeo non abstulisti, ut auxeris. Vivit, vivetque per omnium saeculorum memoriam, dumque hoc vel sorte, vel providentia, vel utcumque constitutum rerum naturae corpus, quod ille paene solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia illuminavit, manebit incolume, comitem aevi sui laudem Ciceronis trahet, omnisque posteritas illius in te scripta mirabitur, tuum in eum factum exsecrabitur, citiusque in mundo genus humanum, quam hujus nomen cadet» (cap. 66). Vel ea quae centum fere annis post A. Gellius scripsit in suis Noctibus (XVII, I): «Ut quidam fuerunt monstra hominum, qui de diis immortalibus impias falsasque opiniones prodiderunt, ita nonnulli tam prodigiosi tamque vecordes exstiterunt (in quibus sunt Gallus Asinius et Largus Licinius, cujus liber etiam fertur infando titulo: Ciceromastix), ut scribere ausi sint M. Ciceronem parum integre atque improprie atque inconsiderate locutum. Atque alia quidem quae reprehenderunt neque dictu neque auditu digna sunt». Vel quae exclamavit mille quadringentis post hunc, contemplans Schleisshemii marmoream statuam tuam Balde poēta *(Lyric.* 2, 25):

Ingratus hic et barbarior fuit
Lictore, qui te, Marce, reliquerat
Lictoris infami sub ictu,
Popilio quoque parricida
Octavianus paene nocentior...

Etiam nos, qui hoc bis millesimo anniversario die tuo hanc circumsistimus imaginem tuam detestati impietatem et scelera interfectorum tuorum (et M. Antonius quidem triumvir post Actiacam pugnam sibi ipse debitam conscivit mortem) et deprecati vituperatorum tuorum sugillationes veras tuas cupimus celebrare laudes.

Nesciebas, Marce Tulli, te Caesarem Octavianum adulescentem aspicientem primum, aspicere reipublicae tibi tam carae sed corruentis imperatorem perpetuum, hoc regnante in Judaeorum terra nasciturum, et ipsius Octaviani edicto in civitate Bethlehem nasciturum, verum Dei Filium, qui illam in orbem terrarum introduceret legem veram, in omnes diffundendam, constantem, sempiternam, quam tu Lactantio teste, in tertio de re publica libro tuo (22) paene divina voce depinxisti. Illam igitur nos legem, non aliam Romae, aliam Athenis, aliam nunc, aliam posthac, sed illam unam legem, quae omnes gentes continebit sub uno illo communi magistro et imperatore Deo, cui qui non parebit ipse se fugiet ac naturam hominis aspernatus hoc ipso

www.culturaclasica.com

luet maximas poenas, illam nos per Christi legatos et praecones accepimus. Et, quod ne somniares quidem, illa Roma tua Christianae legis a supremo Numine praestituta sedes erat; Romanum imperium, quo celeriores eadem lex per orbem terrarum haberet cursus, fines suos ad remotissimas gentes propagaverat et faciles in omnes partes patefecerat vias. Supremo, inquam, Numini etiam tu, Marce Tulli, nescius serviebas. Nonne tu ipse servata per te urbe confessus es non te, sed Jovem restitisse nefariis eversorum conatibus? Quem tu gentium voce Jovem nominas, eum nos a Christo docti unum Deum dicimus, illum ipsum, quem tu ipse philosophans toties quasi manu prendisti, unum supremumque numen, universi rectorem atque conditorem. Ille, ille tibi praeclaram mentem inspiravit et egregias dedit ingenii facultates, miro te ornavit sensu justi, aequi, decori, rara humanitate, singulari prorsus discendi industria. Idem ille puerum te Romam duci voluit et in eas introduci familias, in quibus antiquus mos Romanorum vigebat, ille ea te tractare jussit, quibus linguam Latinam ad summam perfectionem expolires, nam idem Deus reipublicae Christianae, quam Ecclesiam vocitamus, linguam Latinam cultus sacri et doctrinae providerat. Idcirco te et summum oratorem esse voluit et sic tua usque temperavit tempora, sic te diu foro et curia prohibuit, sic te passus est frangi interdum adversis casibus, ut morte Tulliae tuae, ut ad scribendum te conferres, ut ea elaborares opera, quibus omnis humani generis posteritas proficeret.

Tu gloriam consequi volebas, nam nonnulli scriptorum tuorum loci hoc testantur, sed honeste partam gloriam. Et quid ante Christi humilitatem optimus quisque magis desideraret, quando post exempla Christi plurimi sibi ipsis actionum suarum gloriam attribuant. Ecce sempiternam adeptus es gloriam; nam cum illorum omnium, qui ante fuerunt, vel tui fuerunt aequales, vel imperatores Romani imperii fuerunt, nulla hodie recordatio sit, omnium in ore versatur M. Tullius Cicero. Sed ne nimio te ante finem vitae satiares gloriae fructu, sapientissime Deus te volebat omnibus premi molestiis, quoad vixisti, et violenta morte absumi, sicut fere praecipuis Christi testibus, maximeque in urbe Roma, futurum erat.

Itaque hodie nos gratias agimus immortali Deo, conspectori saeculorum, quod illis te duxit viis, neque dubium est quin etiam tu, ingressus abhinc duobus millibus annorum in domum aeternitatis tuae, statim agnoveris rectis te deductum fuisse semitis. Deinde gratias expromere juvat etiam tibi, quod nulli pepercisti labori, ut relinqueres mundo universo bibliothecam operum rhetoricorum et philosophicorum, illas epistulas, ea orationum exempla, quibus his duobus millibus annorum usi sunt summi ingenii viri, ut Augustinus, qui se fatetur tuo Hortensio ad meliorem vitam incitatum esse, ut Hieronymus, qui ita se dederat lectioni librorum tuorum, ut se in somnis magis Ciceronianum quam Christianum hominem audiret objurgari, ut Ambrosius, qui te secutus tres item scripsit libros officiorum. Summi saeculorum Chris-

www.culturaclasica.com

tianorum oratores, ut Bossuetus ut Segnerius, se fatentur a te dicere didicisse. Tui ingenii fructibus alebantur fortissimi defensores fidei Christianae, quibus etiam nos, quantum per officia nobis praestanda regno Christi licet, animum relaxamus novis semper gaudentes leporibus rerum atque linguae, dolentes quod non pauca tuorum operum nobis negavit injuria temporum.

Et hoc tu, Tulli, ceteris scriptoribus Romanis pluris es nobis, quod tam castigata condidisti opera, tam Christianis moribus consentanea, ut vel a pueris sine offensa legantur. Nam tua anima naturaliter Christiana fuit, neque cuiquam dubium esse censeo, quin tu, si centum annis serius in viis ejus urbis —quam nos aeternam urbem vocamus—, Paulum, Apostolum Christi, convenisses, eundem, qui centum annis post mortem tuam iisdem Asiae itineribus Christo quaerebat discipulos, quibus itineribus tu continentiae et innocentiae militaris exemplis illis hominibus admirabilis eras, si Paulus, ut in Asia Galatarum, sic ante oculos tuos Christum praescripsisset, ultro caelesti oborta luce Christi discipulus atque adeo martyr futurus fueris.

Doctrina Christiana est: qui homines vel ante adventum Christi fuissent, vel post natum Christum nunquam audissent venisse novae legis conditorem, sed naturae legem observassent suae obsequentes conscientiae, Christi meritis salutem aeternam consecutos esse et consequi. Hac nos freti Dei clementia te, Marce Tulli, quo fuisti candore animi et amore recti, spem alimus te pro patria caesum per limbum patrum transisse ad sempiternam felicitatem. Grato animo hodie recordamur etiam de illa optima femina, quae tua quondam carissima uxor fuit et fidelissima calamitatum tuarum socia, de Terentia tibi superstite. Gratias agimus Tironi tuo, quod assiduam ponebat operam in conservandis scriptis tuis, quam Atticus ponebat in divulgandis. Sint tecum felices!

ANDREAS AVENARIUS

Tyrsirutis, in Germania

www.culturaclasica.com

Uter major fuerit Ulixes an Aeneas?

Delectat sane hos nobilissimos viros, quorum nomina ac gesta, litterarum studiosi, didicimus, inter se comparare. Nam prior, tot fraudum auctor, summis plerumque laudibus ornatur, cum posterior paene relinquatur. Tamen si serio consideratur, jure major digniorque est dicendus. Ulixes, decem post Trojam captam annos terra marique jactatus et mala plurima perpessus tandem in patriam revertit, habitu mendicus et rerum omnium inops. Ithacam regnum, ubi editus in lucem, prata florida, nemora virentia, mare circumfluum viderat, uxorem Penelopem, Telemachum filium, patrem longaevum, canem fortuna favente repperit. Sed Aeneas pius «fatis poscentibus» nec in patriam rediit neque conjugem repperit neque patrem. Contra «fato profugus» solum natale relinquere debuit et ideo a Turno rege «desertor Asiae» immerito est appellatus. Troja, ubi lucem hauserat, funditus deflagrante, uxorem Creusam amisit,

«heu misero conjunx fato mi erepta Creusa» (2, 738);

patrem Anchisem, quem summa pietate colebat,

—«Ergo age, care pater, cervici imponere nostrae
Ipse subibo umeris nec me labor iste gravabit» (2, 707, 708)—,

et filium cum penatibus aegre ex flammis servavit. Dum diris oceani procellis agitatur, patrem amisit:

«Heu genitorem, omnis curae casusque levamen
Amitto Anchisem» (3, 709 - 710).

Si patriae desiderio cedere per deos licuisset, Trojam devastatam restituisset:

«Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis et sponte mea componere curas,
Urbem Trojanam primum dulcesque meorum
Reliquias colerem» (4, 340 - 343).

«Italiam non sponte sequor» (4, 361). Adversus tot inimicorum infesta consilia, deorum inferorum invidiam, Junonis potissimum, suumque ipsius desiderium, invitus, una nisus fatorum oboedientia, Italiam petiit. Numquid dissimilis Abrahae patriarchae, qui arcano Dei consilio, relicta patria et sanguine conjunctis, iter per vastum desertum arripuit, ut in novam eamque longinquissimam tandem perveniret? Quantopere igitur Ulixes et Aeneas inter se distant! Est quidem Ulixes vir fortissimus, nauta audacissimus, sed parum pius, maxime callidus et dolosus. Sprevit fidem conjugalem, genuit ex Circe Telegŏnum filium, blanditiis pellectus longam apud Calypsum Nympham

www.culturaclasica.com

in insula Ortygia moram traxit, descendit in Orcum, non pietatis causa ut Aeneas, sed ut ex Tiresia fata futura exquireret.

Multo dissimilior Aeneas! Quem si «pium» nominas, ipsius ingenium et naturam dicis. Huc addas velim ejus summam erga fata Jovis observantiam, qua sola, velut olim nautae astris, inter tot rerum adversa regebatur. Descendit quidem in Stygea regna, sed ut, pietate inductus, —«pietate insignis» (6, 403)—, Anchisem patrem videret:

«Venisti tandem, tuaque exspectata parenti
Vicit iter durum pietas? Datur ora tueri,
Nate, tua et notas audire et reddere voces» (6, 687 - 689).

Sed et aliud quippiam maximi ponderis interest inter Ulixem et Aeneam. Prior ex Circe, licet maritus, suscepit filium. Verum posterior sescenta pericula perpessus profugus tandem ad Didonem reginam venit. Erat pulcherrima:

«Tandem progreditur magna stipante caterva
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo,
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem» (4, 136 - 139).

Adamavit Aeneam, in flore aetatis virum:

«Ardet amans Dido traxitque per ossa furorem» (4. 101).
«At regina gravi jamdudum saucia cura
Volnus alit venis et caeco carpitur igni» (4, 1 - 2).
«Solus hic inflexit sensus animumque labantem
Impulit» (4, 22).

Omnibus, quibus pollet femina, blanditiis Aeneam allicere studebat, ut sese conjugem duceret, adornat festa sollemnissima et venationes:

«Nec non et vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido longumque bibebat amorem» (1, 718 - 719).

Sensit maxime dolores reginae pius Aeneas:

«Mene fugis? per ego has lacrimas dextramque tuam et
Per conubia nostra, per inceptos hymenaeos,
Si bene quid de te merui fuit aut tibi quicquam
Dulce meum, miserere domus labentis et istam,
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem» (4, 314 - 319).
«Saltem si qua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam soboles, si quis mihi parvulus aula
Luderet Aeneas, qui te tamen ore referret,
Non equidem omnino capta ac deserta viderer» (327 - 330).

Amiserat Dido conjugem: «Miseri post fata Sychaei conjugis» (4, 20). Amiserat quoque Aeneas conjugem. Ambo liberi erant foedere jugali. Quam speciosis pinxit Dido coloribus vitam, si ipsam duceret conjugem. Nec dicendus est Aeneas pectore adamantino fuisse. Sed restitit fortiter nec

www.culturaclasica.com

deliciarum blanditiis abreptus est. Neque vero ignorabat, quantis doloribus Didonem fuga esset affecturus, tamen se ipso, major semper sibi constans, fatis solis parens, vela in Italiam longinquam et incognitam fecit. Quantopere hîc Ulixis imago pallet! Condenda erat Roma et «imperii sine fine» jacienda fundamenta.

«Cede Deo», qui se fando manifestat. Cede «fato Jovis». Quo fato, —quod in ipso carminis libro primo occurrit— «fato profugus», Aeneas inde a relinquenda Troja usque ad condendam Urbem regitur: «Poscunt fata Jovis» (4, 614); «Italiam non sponte sequor»; «Ostendent terris hunc tantum fata» (6, 869). Jam fatum mysterio plenum est. Omnes dii fato sunt subjecti uno Jove excepto. Quod fatum Juno, Jovis uxor, dea potentissima, etsi aliquamdiu tardare poterat —«Acheronta movebo»—, tamen tollere nequibat. Sed ubi fatum —dictum—, ibi fantem esse oportet. Ergo fans et fatum eadem sunt persona. Fato cuncta reguntur: «Sic placitum». Cuinam? Jovi ipsi. — Nonne, Evangelii luce illustrati, dicimus: «Beneplacitum Dei?». Hic Vergilius paganus, sed «parthenius», «prodeunte Adventu» primis Evangelii radiis illuminatus esse dicendus est. Idem saepe ab Augusto amico et Maecenate invitatus, ut vita aulica frueretur, lucem fugere et veluti in tenebris vivere studebat.

In ea, quam saepe commemorat, Aeneae pietate, se ipse pium mundumque corde prodidit.

N. Mangeot, S. J.

DE VITA GALENI MEDICI

Galenus anno p. Chr. n. 129 (Hadriano imperatore a. 117-138) in urbe Pergamo natus est, ubi tum 120 milia incolarum habitabant; Asiam Minorem semper magni existimavit patriamque caram dilexit. Patri nomen erat Nikon, qui, architectum et mathematicum, in hominibus divitibus numerabatur atque etiam sacerdotis muneribus aliquando functus est multisque litteris institutus. Galenus unus fuit familiae filius; ipse patrem laudibus tollere numquam desiit, qui humanitate, clementia, justitia excellebat; mater autem crudelitate ac vehementia in ancillas mordax saeviebat; contra hos matris mores filius, cui nomen Galenus, id est tranquillus, in consilium dabatur; ad mansuetudinem educandus erat. A patre ipso litterarum disciplinis optime est institutus; puer didicit res mathematicas, artes liberales, optimam Graecorum linguae formam; quindecim annos natus dialecticae arti operam dedit (anno 144); biennio post, septendecim annos natus (anno 146), somnio patris adductus ad medicinae studium incubuit. Patre anno 150 mortuo, Ga-

www.culturaclasica.com

lenus Smyrnae (anno 151) anatomiae studia Pelope medico persequitur, philosophiae vero Albino Platonico operam dat; deinde Corinthum se confert, ubi Numesiani disciplina anatomica imbuitur. Neque tamen Athenis diu commoratus est, cum hujus civitatis in re publica auctoritas et potentia comminuta et afflicta esset neque ullus disciplinae medicae investigandae locus daretur. A Graecia igitur in Aegyptum una cum Numesiano medico navigavit, ubi Alexandriae institutis aliorum quoque medicorum interfuit; juvenis ergo Pergamenus in portibus maris Mediterranei permagnam medicinae partem didicit; quia ibi civitates, divitiis commercio mercibusque comparatis, medicos multa pecunia donabant. Galenus qui jam diu bona corporis valetudine carebat, quippe qui nimio scientiarum studio fatigatus nervis stomachi laboraret nec bene cibos concoqueret, duodetriginta annos natus tandem convaluit. Pergamumque reversus anno 158 medicus gladiatorum creatus est, qui quotannis aestate ludos in theatro agebant; quinque annos hoc munere functus est a quinque pontificibus ad officium electus; anno autem 163 cupiditate novarum rerum artis medicae et philosophiae impulsus Romam, caput mundi, se contulit; ab anno deinde 163 ad annum 168, ut verisimile est, primum Romae commoratus est, qua in urbe Galenus celeriter magnam sui gloriam est consecutus atque invidiam medicorum aemulorum in se concitavit eo quod inopinata eloquebatur dicta et facta faciebat (παραδοξολόγος miridicus et παραδοξοποιός mirificus). Apud imperatores Marcum Aurelium et Lucium Verum auctoritate magna valuit; anno 168 ad hos imperatores Aquilejam, quae erat nobilis Galliae urbs, ad expeditionem se accingebat ut medicus imperatorum; peste tamen mox propagata Romam confugit, Italiaque relicta, Pergamum, in patriam, contendit, postquam servum Romae retinuit, ut summo demum in periculo cuncta bona et scripta sua venderet; sed unum annum (168-169) Pergami commoratus, rursusque iter (anno 169) Romam est aggressus, ubi usque ad mortem, circiter annum 200, remansit; intra hos septuaginta prope annos ab anno 129 (Pergami natus) ad annum fere 200 (Romae mortuus) Galenus vitam indefessus peregit.

[Aemilius] Emil Orth

www.culturaclasica.com

Lingua Latina quanti necessario habeatur

Augustus Villelmus [1] Schlegelius (1767-1845) —quem cum Friderico fratre natu minore eam poëtarum scholam, quae Romantica dicitur, condidisse neminem fugit—, praeter multos libros Germanico et Gallico sermone conscriptos etiam non paucas dissertationes bonae frugis plenissimas Latine litteris mandavit, quas Eduardus Boecking uno volumine collectas Lipsiae anno 1848 edidit. Quo in libro pag. 426 sqq. haec scripta legimus [2]: «Est vetus mos, quem non Germanicae solum universitates litterariae, sed Batavae, Danicae, Suecicae et Anglicae pariter servant, ut in omni actu sollemni, in omnibus muneribus publica auctoritate susceptis, in diplomatibus, in orationibus panegyricis, epistulis honoris causa ad viros doctos missis, disputationibus denique inauguralibus lingua Latina aut scripta aut viva voce prolata utantur. Qui mos repetendus ab ipsis universitatum incunabulis, a majoribus per plura saecula nobis traditus est et, licet non diserte lege fuerit firmatus, nihilominus legis vice religiose observandus est. Quod equidem prudenter ita institutum esse arbitror. Nuper tamen, ut prona est aetas nostra ad vituperanda antiqua, exstitere nonnulli, praecipue inter Francogallos, qui hunc morem exploderent, clamantes linguam vernaculam unice esse colendam; intolerabilem esse usum linguae vulgo non intellectae, jam ante multa saecula prorsus exstinctae atque emortuae.

Enimvero quod ad hoc argumentum attinet, egregie falluntur indocti homines nihilque probant nisi suam historiae ignorantiam. Nunquam enim per totum, quod dicitur, medium aevum obmutuit lingua Latina; immo ad gravissima negotia, leges ecclesiasticas et civiles promulgandas, exclusis linguis vulgaribus adhibebatur. Corrupta fuit interdum Latinitas, quod nec mirum, cum optima veterum exemplaria barbariе atque oblivionis veterno quasi sepulta jacerent et ad paucissimos auctores probatos aditus pateret. Eadem subinde emendatior prodiit, cui rei quantam curam Carolus Magnus impenderit, vulgo notum est. Neque in scriptis solis substitit hoc studium: facun-

---

1 *August Wilhelm Schlegel. Wilhelm:* de ratione hujus nominis Latine scribendi confer hos locos: *Latinitas* 1 (1953) 310. Egger, *Carolus, Lexicon nominum virorum et mulierum*, Romae 1957, pag. 92.

2 Repetivimus ad verbum illam orationem anno 1839 habitam; quae minus bene Latine dicta sunt, lector benevolus ipse corriget.

www.culturaclasica.com

diam oris Latini non docti modo clerici exercebant, sed principes etiam tamquam artem regiam sibi parandam esse existimabant. Adeo usitata erat imperatoribus a Carolo Magno inde facultas Latini sermonis, ut annotatum sit in annalibus Rudolfum [3], electum Romanorum regem, primum inter omnes qui imperio praefuerant, linguae Latinae omnino fuisse ignarum: unde ingens ei pudor offusus est in consessu principum, cum ejus adversarius, episcopus Olmucensis [4], longam orationem Latinam haberet pro Bohemiae rege Ottocaro, cujus orationis ne minimum quidem verbum Rudolfus intellegeret.

Post clericos universitates potissimum eloquentiae Latinae operam dedere; prima inter ceteras eminuit Parisina: ibi tantum profecit Otto Frisingensis [5], imperatoris Friderici I avunculus, ut inter meliores illius aetatis historicos merito referretur. Celebrata deinde est Bononia propter juris civilis peritiam; floruit tanta discipulorum frequentia, quanta nulli postea universitati contigit: etenim confluebat eo ingenua juventus e cunctis Europae partibus, quod ne fieri quidem potuisset, nisi professores usi essent lingua quodammodo universali.

Qua ipsa quidem appellatione comprehenditur pars haud exigua utilitatum, quas praebet usus linguae Latinae in rebus ad eruditionem spectantibus tractandis. Non separabantur tunc temporis linguarum diversitate Itali Hispani Galli Germani Angli Scandinavi: quae quisque meditatus fuerat, epistularum commercio aut colloquiis sine interpretum ope communicare inter sè poterant; agnoscebant universi antiquum illud et cultissimum Latium tamquam communem doctrinae patriam.

Transeo ad aliud commodum, quod in libris Latine scriptis maxime apparet. Scilicet quae ex purissimis fontibus Jul. Caesaris, Sallustii, Ciceronis, Livii, Taciti hauriuntur, ea nulla temporum vicissitudine evilescere vel obsolescere possunt; contra quae linguae vulgi ore teruntur, mutationibus plerumque sunt obnoxia. Ex opera, ut ita dicam, servili, quam usui cotidiano praestant, periculum est, ne multiplicem corruptelam contrahant; si quando ad altiora enituntur, auctorum oratorum poëtarumque ingeniis id unice debetur. Leibnitzii temporibus admodum abjecta erat et insulsa nostratium in omni genere dictio: ne miremur itaque summum philosophum, mathematicum, monumentorum veteris memoriae indagatorem, in libris suis Francogallice aut Latine loqui maluisse, utpote qui tum in aulis principum tum inter eruditos vitam degeret. Praeterea per totam Europam legi cupiebat, quod nemo alius magis assecutus est. Exstant tamen nonnulla Leibnitzii

---

3 Cf. *Latinit.* 1 (1953) 309; EGGER, *op. cit.*, pag. 160.

4 Olomutium, Olimunca, Olmucium = *Olmütz:* SLEUMER, *Albert, Kirchenlateinisches Wörterbuch*, Limburg 1926, 566.

5 Frīsĭngă - ae f., oppidum prope Monacum, caput Bavariae, situm.

www.culturaclasica.com

scripta Theodisca*, inter alia de lingua patria emendanda commentatio. In qua ipsa labem aetatis suae non prorsus effugit: peccat interdum prolixitate et nimis contorto verborum ambitu; nam quod multae locutiones per unius saeculi decursum obsolevere, in eo nulla est auctoris culpa. Simile quid Mascovio accidit, Leibnitzii fere aequali; qui vir doctissimus res gestas e stirpe Saxonica et Franconica tam pura et castigata Latinitate usus conscripsit, ut adhuc cum delectatione legi possint; at contra in ejusdem Mascovii historia priscarum Germaniae nationum, Theodisce* exarata, tot loci propter dictionis squalorem nobis sordent, quin paene ridiculi videantur, utque liber bonae frugis oblivioni sit datus.

Sunt cultiores hodie, fateor, litterae Theodiscae: feliciter aemulamur politissimas Europae gentes: Neque id nunc ago, ut linguis recentioribus, sive Germanicae sunt stirpis sive a Latina deflexae, laudes suas denegem, quas ultro praedicare sum paratus. Quanti hasce exterorum litteras faciam, quantopere iis delecter, studiis meis probavi. Attamen palmam concinnitatis, ubertatis, venustatis inter omnes linguas, quibus ulla umquam gens per orbem terrarum usa sit, periti talium arbitri uno ore Graecae ac Latinae linguae deferunt, tum propter ingenitam indolem tum propter cultum exquisitissimum.

Jure itaque doctae antiquitatis opes litterarum, quarum in atrio quasi janitrix ars grammatica sedet, ad penetralia deducit ars critica, in erudienda pueritia atque adulescentia ingenuorum principem locum occupant. Praestantissimorum poëtarum oratorumque lectione animus pulchri sensu imbuitur, acuitur ingenium philosophorum subtilitate, magnarum virtutum exemplis memoriae proditis generosa indoles juvenum amore honesti accenditur. At is demum amplum ingenuae educationis fructum capiet, qui posito tirocinio per vitam reliquam, quamcumque tandem professionem sibi elegerit, quibuscum que negotiis fuerit implicitus, humanitatis artes colere perget; is demum experietur eloquentissimum Romanorum vere de iis praedicasse: «haec studia adulescentiam acuunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solacium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur» [6].

KARL SCHÖNBERGER

JOHANNES CAROLUS PULCHRIMONTANUS

---

* Theodisca = Germanica; Theodisce = Germanice.

6 CIC. *pro Archia* 16 (ed. CLARK, Oxonii 1952).

www.culturaclasica.com

PIO XII SUMMO PONTIFICI

OCTOGESIMUM AETATIS ANNUM ATTINGENTI

Mille nongentos agitavit urna
Providens, annos, quibus alma Roma
Gloriam Petri simul atque vidit
Munera Pauli.
Temporis lapsus nequedum procella
Impetu facto columen salutis
Delet et victrix cecinit triumphum
Petrea Sedes.
Instar ac primi meritis amoris,
Nunc Pius regnat solio decoro,
Quod cruor sanctus pretio redemit
Sub duce Petro.
Quis potens lingua memorare facta,
Spiritus Sancti vigili ducatu,
Dicet in terris tibi gesta, Pastor,
Atque gerenda?
Tu Dei cultum renovas, Sacerdos,
Perditos mores refoves, Magister,
Vera tu monstras digito Parentis
Undique certo.
Multa subjectis oculis videntur,
Plura sub velo Deus unus alte
Perspicit Servi populis precantis
Omina fausta.
Ecce nunc languet veluti sagitta
Passer abreptus; similis resecto,
Proh dolor! nobis aquilone flori,
Fit Pater ipse.
Morsne te praeda capiet superba,
Orphanam, Pastor, subolem relinques?
Spes micat cunctis hominum catervis,
Nocte silenti.
Christus aeternus miseratus illum
Lenit et vitam reparat medela,
Cujus invictae placuit coronae
Fama perennis!

JACOBUS FABREGAS
In Sem. Min. Barcinonensi Professor

www.culturaclasica.com

O diurnarios, lepida capita!

De clipeis volantibus sive de patinis coruscantibus illis, quas vocant [1], in ephemeridibus jam singula quaeque non modo diurnarii diligentissime sunt persecuti, sed etiam plura commenti sunt cujusque generis aetatisque homines, quam ut de iis nonnulla exponere eorumque naturam, quantum potest, investigare alienum esse videatur.

Tam multa enim audivimus tamque mira atque interdum absurda legimus, ut risum vix retinere potuerimus. Nempe quisque, doctus atque indoctus, ad rem explicandam reconditi aliquid excogitavit, nec ulla in eligendis utique locis, ubi de ea disputaretur, ratio habita est: in foris, in viis, in thermopoliis, in medicorum patronorumque atriolis, uti fallerentur a clientibus horae, in automatis, in cellis vehicularicrum agminum serius ocius euntium, in scholis, in officinis, aetheriae, ut ita dicam, disputationes habitae sunt et adhuc habentur, tamquam si de vita aut de morte, rerum omnium gravissimis, agatur. At id mirari desine, lector, cum tanto periculo belli homines solliciti sint; ex quo efficitur, ut, quo magis credunt simplices ac territi cives, eo plures aspiciantur clipei atque vulgentur.

Nonne, ut res explicaretur, quaerentibus multis, ad *radiophonicum* illud quinquevirorum concilium quaestio allata est, qui singulis hebdomadibus, Romae in unum conveniunt, et, ad ea quae ab auditoribus posita fuerint, inter se disputantes tam perite respondent? Quos quidem, hercle, vellemus quodammodo rem enodasse, qua prudentia, qua auctoritate, qua subtilitate sunt. At quomodonam tam occulta et involuta aperirent? Ne physici quidem, id est speculatores venatoresque naturae, nec ii qui rerum caelestium siderumque spectandorum arte pollent, rem exploratam habent! Itaque factum est, ut magis magisque in dies non modo mentes eorum, qui nimis ad credendum faciles sunt, sed etiam severiorum gràviorumque hominum animi perturbarentur, et iis haec haereret opinio, ab alio scilicet genere hominum naves illas aetherias esse aedificatas et a *Martianis* incolis *Venusianis*ve regi ducique [2].

Sed ad res veniamus, in quibus, sicuti initiis ac fundamentis, tota innitatur oratio.

Nemo igitur non novit —res enim omnium sermone percrebruit— iterum

---

1. Itali enim *piatti volanti*, Francogalli *soucoupes volantes*, Angli *Flying soucers*, Hispani *platillos volantes* appellaverunt eas.

2. Donald E. Keyhoè, Americanus vir idemque navarchus (italice: *ammiraglio)*, nuper de hac re librum vulgavit Anglice exaratum, in quo ait eas planetaria vehicula esse consideranda.

www.culturaclasica.com

atque iterum ab a. MCMXLVII, quo primum apparuerunt, ad annum MCMLII in septentrionalis *Americae* regionibus passim clipeos visos esse volantes. Si autem singulas res persequi volumus, eodem anno, mense Julio saepissime civibus novitate perculsis clipei sese ostenderunt: *Richelandiae*[1] constat clipeum supervolitavisse officinas, in quibus atomorum dissociandarum in ratione studioque jam tum *Americanorum* versabantur physici, eodemque fere tempore duos in *Coreana* regione visos, cum *Sinensium* et *Americanorum* exercitus hominum pro libertate pugnarent. *Indianopolim* inde, *Norfolciam*[2], *Bostonium*, *Caesaream novam*[3], nec non *Veronicam*, urbem in *Argentina* positam, aliquot clipeos ardentes supervolitasse legimus. Praeterea, quod caput est, supra *Domum* illam, quam *Albam* appellant et *Vasingtonii* Capitolii palatium septem accepimus volatu latas esse coruscantes patinas. Quas immo milites, in quadam *Marylandiae* aëria statione administri, machina *teloramica* prospeculati sunt, cui nomen *Radar* inditum est. Quod profecto nullo modo fieri potuisset —ita periti asseverant— nisi e metallo vel concreta et corporea natura fuissent.

Quo timore igitur affecti sint *Americani* cives ex ipsa animorum confirmandorum necessitate intellegi potest. Haec enim illic tunc vulgata sunt: «Magnam jure de rebus caelestibus illis plura cognoscendi omnibus esse cupiditatem, attamen nulli credendum eas hostium esse belli machinamenta». Quin etiam, timoris expellendi causa, mox haec addita sunt: «Clipeos, qui *Americae* caput supervolitavissent, nulla alia de causa quam calore genitos esse».[4]

Quid jam de clipeis dicam, quos Francogalli, Germani nec non Austriaci cives novissima aestate aspexerunt? Ecquid de iis, qui tam saepe citatissimo cursu per caelum Italiae visi sunt hac et illac itinerantes? Attamen, quamvis plurimi numero et diversissimi forma aspectuque incolis Europae sese praebuerint, eadem atque *Americani* nos non affecti sumus sollicitudine et paene dicam angore, quin etiam in risum vertimus omnia! Nempe in Francogallia delectorum virorum consilia quaedam constituta sunt *astronautis* comiter benigneque excipiendis, si quandocumque de caelo descenderint! Quod Itali quoque fecisse videntur.

Eaedem tamen fere atque in *America* et in ceteris terrarum regionibus apud nos caelestes illae visiones sese obtulerunt: at quaenam earum natura? Ex qua materia constant? Utrum terrigenarum machinae sunt ab hisce hominibus ductae ad infinita caeli spatia lustranda, bellique causa ad alienas inspiciendas regiones, et interdum rectoribus vacuae, *radiophonicis* procul undis

1. Anglice *Richeland*, apud Vasingtonium urbem.
2. Anglice *Norfolk*, in Virginia, in Americae regione posita est.
3. Anglice *New Jersey*, in Neoboracensi regione.
4. Haec verba Americani exercitus duci cuidam tribuuntur, cui nomen est *Samford*, qui iis praeest militibus, quibus mandatur ut locorum situm sive domi sive peregre ex alto contemplentur eorumque imagines objectu lucis exprimant. Italice: «Servizio d'Informazione dell'aviazione».

www.culturaclasica.com

reguntur, an caelestium incolarum cujuspiam planetis ad nostras invisendas terras machinae ignotae, an caeli noctivagae faces [1] et interdiu flammae volantes [2], an trabes [3], an bolides [4] id est stellarum ignita fragmenta?

At ordine omnia sunt exponenda mihi. Jamdiu res pervulgata est harum visionum alias caeli splendoribus, qui repercussione solis vel aliqua de causa effici solent, alias autem oculorum erroribus tribui debere [5].

Nonne talia et antiquitus et omni tempore usque ad aetatem nostram diligentissime observata sunt? At in miracula tunc referebantur et haud aliter ac praeter naturam hominum pecudumque portenta terrebant homines. Apud Livium scriptum legimus caelum nonnumquam ardere visum [6], nocte hic et illic lucem obortam [7], alias autem caelum magno hiatu scissum et, qua patuisset, ingens effulsisse lumen [8]. Nonne per caelum etiam concurrere acies et rutilantia arma et navium, immo magnae classis speciem veteres se aspexisse putarunt [9]? Quid? Traditum est anno ducentesimo septimo decimo a. Ch. n. duos Albae [10] totidemque Romae apparuisse soles [11], duas autem Capenae lunas [12]. Sol ipse minui interdum visus est [13]! Nec illud praetereundum censeo mirabile eventum, quod, media aetate, quae dicitur, multos religione et terrore replevit. Cum enim ad Augustam, Vindelicorum urbem, anno fere millesimo post Ch. n. [14] inter Othonem regem, cui Magno cognomen inditum est, et Berengarium, Italorum regem, conventus fieret, ut coram omni exercitu ab hoc fides illi renovaretur, cumque Berengarius se et Adelbertum filium suum ejus potestati addixisset et in Italiam inde rediturus esset, lapis ignitus, quasi massa candentis ferri, ab occidente ad orientem per aëra venit et draco ingens visus est ambulans [15]. Quid de bolide dicam, qui anno mille-

---

1. Lucret. *De rer. nat.* 2. 206.
2. Lucret, *ibid.* 5. 1191.
3. Jul. Obseq. *Prod. lib.* 122.
4. Plin. *N. H.* 2.26.25.
5. Cf. H. Martin: *La foudre, l'électricité et le magnétisme chez les anciens.* Paris, 1886, pag. 85 - 89. — Vide etiam: Geddes A. E. M.: *Meteorology*, New York, 1921, pag. 223 et Humphreys W. J. *The physic of air*, Philadelphiae, 1920, pag. 448.
6. A. U. C. 3, 14; 3, 10, 6; 31, 12, 5.
7. *Ibid.* 28, 11, 5; 32, 29, 2; Cf. Plin. *N. H.* 2, 26, 26, 96 et Sen. *N. Q.* 7, 4, 5 et 1, 14.
8. *Ibid.* 22, 1, 11. Cf. Plin. *N. H.* 2, 26, 26, 96 et Sen. *N. Q.* 6, 4, 5 et 1, 14.
9. *Ibid.* 5, 13, 2; 21, 62, 4; 28, 11, 13.
10. *Ibid.* 29, 14, 13; Vide etiam: 41, 21, 12. — Jul. Obsequens est addendus 14; 32; 43, 68 et Plin. *N. H.* 2, 37, 31, 99; 2, 59, 50, 150 - 151—.
11. *Ibid.* 28, 11, 13.
12. *Ibid.* 21, 1, 10.
13. T. Liv. *A. U. C.* 30, 38, 8.
14. Si rerum diligentissimi esse volumus anno DCCCCLI.
15. De rebus quas perstrinximus Conradus abbas Uspergensis et Vitichindus Corbejensis egerunt. Cf. Lat. Script. Chron.

www.culturaclasica.com

simo fere octingentesimo p. Ch. n. ampliori *Russiae* regioni, cui *Siberiae* nomen, per latum caeli spatium elapsus, magno cum fragore et omnium rerum ruina illisus est?

Alia hujuscemodi multa referre possum, at satis esto docere hanc molem terrarum perenni quadam caelestique pulveris pluvia, quam *cosmicam* graece dicimus, nec non ignitis stellarum fragmentis per inane delapsis, ita conspergi, ut, nedum minuatur, magis magisque in dies et in annos augeatur.

Habeantur sane pro bolidibus aliae, aliae pro facibus, calore partim, partim luce gignantur, nonnullae sint flammae volantes habendae caelestes illae visiones, tamen aliquae manent —licet perpaucae sint— quae ad cognoscendum difficillimae sunt. Quae duplici via sive ratione illustrari possunt, quarum alteram, temerariam quidem, diurnarii invenerunt. Hi, non tam ut rem enodarent quam potius ut hominum mentes animosque deciperent eorumque admirationem et exspectationem moverent, ingeniis suis, ut ita dicam, permiserunt habenas.

An felices, vos quoque, diurnarii, dicamus, quod tam involutarum rerum potuistis cognoscere causas, in numerumque referamus illorum qui —quam multi sunt!— omni tempore beneficiis affecerunt homines? Novine estis Promethei, novine Epicuri, quorum alter fraude ignem gentibus intulit, animorum terrores alter discussit? Ubinam Lucretius alter, ubi Vergilius, qui honoribus omnibus cumulent vos resque vestras admirandas tradant hominibus et jactandas posteritati permittant? O temporum iniquitatem, quae tanta vatum poëtarumque penuria laborant!

Non terrigenarum igitur, de sententia vestra, sed ignotorum caelicolarum habendae sunt machinae istae quodpiam e novem sideribus vagis inhabitantium, qui, sua sede relicta, se cum sorti crediderint, fortunam periclitantur et per spatia immensa atque infinita nos cognitum visumque veniunt! Bellum ut nobis inferant, dicite, quaesumus, an pacis aliquod foedus nobiscum iciant? Tanta est rerum ubertas, quam de hisce machinis arte mirifica exstructis, nec non de illis a quibus reguntur dirigunturque in vulgus edistis, ut verisimile quiddam rei inesse videatur. Nempe longarum navium alii, fusorum alii ad similitudinem factas, nonnulli denique alia forma praeditas per caelum eas itinerantes sese aspexisse adfirmarunt! Quid? Fuerunt qui dicerent illas, quasi parerent, aliquot repente edidisse clipeos, qui viribus et facultatibus suis dein iter aërium perrexissent! Et earum machinarum ductores sive *astronautas* se vidisse quidam dixerunt, natura praeter humanam instructos, peculiaribusque vestibus indutos ad volandum aptis, quos aliunde non venisse opinati sunt quam e Veneris vel Martis errantibus sideribus illis utpote quae, omnium stellarum, excepta luna, terrarum orbi proxima sint et una nobiscum circa solem ferantur ejusque nutu alliciantur. Quid? Nonnullos vestrum dicentes audivimus sese cum illis esse sermocinatos, quin etiam eos tetigisse manu, sed veluti electrico ictu procul esse

www.culturaclasica.com

repulsos itemque machinarum earum fulgoribus oculorum aciem habuisse praestrictam! Eaque tanto studio tantaque cura enarravistis, ut in dubio simus utrum posthac verissime scribentibus vobis fidem necne habeamus.

O perridiculam rem! O diurnarios, lepida capita, qui admirationis non modo, sed etiam lucri causa hunc illum tam absurda dicentem inducitis! Mirum quidem est quod, cum tam longum iter *Martiani* isti *Venusianive* per inane confecerint, hic inter nos aliquamdiu consistere morarique non audeant et vires, tempus, ingenium difluere sinant! Vobis non sunt felicia ingenia, nec vos estis inveniendi principes. *Americanorum* ipsorum diurnarios vestigiis persecuti estis, quin etiam res auxistis fidemque superavistis! Quo levitatis non pervenistis? Audite, audite, nescio quid magis fatuum cogitari possit: *astronautae* ii, quos ingenio et artium progressu tanto hominibus hisce praestare adfirmatis, statura multo humiliores terrigenis sunt translucidoque integumento quodam induti, neque —oh mirum!— eos ex ore edere verba, sed mustelarum more, quae in laqueum inciderint, sibilantes effingitis! O rerum novarum novorumque hominum naturam omnibus utique numeris absolutam! Res quidem magni momenti est et jucundissima homines nos invenisse, per quos fas, justum ac jus discere et rebus labantibus nostris remedium afferre possimus! Non solum natu majores, ut ita dicam, fratres, sed etiam animo ampliore capacioreque mente jam nacti sumus, quorum consilio omnia nostra digeremus atque nitemur!

Restat ut, qualis de sententia nostra machinarum illarum natura sit —si modo machinae sunt— consideremus.

Agite, ut a caelestibus rebus ad terrestres veniamus, quid impedit quominus hasce, cum ipsi aedificaverint, terrigenas credamus regere machinas? Nonne jam ipsum rerum sonum velocitate superaverunt aëriae apud nos citissimae machinae illae, quae *aërihaustores* dici possunt, quippe quae haustum aëra comburant et propulsentur? Num forma rotunda, qua clipei ornati esse dicuntur, nos a re credenda deterret? Num quadrata sidera sunt? Num luna et omnia sunt astra quadrata aut oblonga per caelum itinerantia? Nonne globosus et rotundus est orbis terrarum? Cum corpora igitur sagittarum praedita forma caelum secantia videre assuerimus, haud facile concedimus aliter volari posse. Quod quidem idem est atque in errore versari. Nemo alioquin generatim non concedere potest cujuspiam nationis orbis terrarum physicos ad verum perduxisse illam jam inventam aedificandarum machinarum rationem, e qua *helicopterum* exstitit, utpote quod non sagittarum nec avium more agitando alas, sed sese volvendo itemque movendo et transferendo aethera tranet. At quispiam dixerit nullo modo terrestres ductores —quae natura iis est— effectus tolerare posse velocitatis, quam machinis illis concedere par est, siquidem veluti stellarum fragmenta per aethera volitant. Ne id quidem —inquam— prohibere et officere potest quominus eas ab hisce hominibus regi credamus.

www.culturaclasica.com

Ad quam rem satis est in artibus aliquid novi physicos excogitasse. Quodsi quis mihi obiciat homunculos quosdam et quasi mostella in Francogallia vel alibi conspecta esse ducentia machinas illas, jam compressa respondeam atque discussa illa omnia esse a diurnariis excogitata. Nonne amentis est credere homines tam pulchra inventa credidisse ducenda pumilionibus istis, utpote qui, corporis parvitate atque deformitate ad id magis idonei ex lege naturae exactis hominibus sint? Nec mirabile est quod ii corpora et capita singularibus vestibus tegminibusque operta habeant. Nonne gummeis vestimentis mira quadam forma confectis, ut ad respirandum et ad frigus arcendum apta sint, jam apud nos utuntur *aëronautae?* Nonne capitibus metallica integumenta urinatores adhibent, ut infimun pelagi solum ab omni periculo tuti explorent visantque? Et eam sui speciem praebent, ut primo aspectu de alio planete eos descendisse putes!

Verumenimvero ab aliis jam ad verum perducta esse opinamur ea quae nos cupimus quibusque delectamur, in quibus ponenda est illa paene cum homine nata volandi cupiditas et omnia circum investigandi.

Nihil ergo nisi terrigenarum machinas —si modo machinae sunt— eas dicere ausim. Quaedam, de sententia nostra, nationes pollentissimae sunt omnibusque rebus abundantissimae, quae, cum maximos in artibus progressus confecerint, hasce machinas aedificatas habent, quas usus et experimenti causa ad caeli cunctas nec non ceterarum nationum regiones speculandas mittunt, ut omnia ad bellum necessaria —quod Deus avertat!— comparent.

Oh terrarum orbem nimia senectute confectum! Tuorumne causa collabere filiorum et ruinis supersedebunt tuis nova hominum monstra, per quae novus ordo incipiet annorum? Idne omnibus viribus quaerunt efficere homines? Jamne usui desiit esse mortalibus scientiarum illa pervestigatio? Quiddam enim ex ea manare videtur, quod homines ipsumque terrarum orbem funditus obruat.

Utinam ne hic tum sim! Oculis meis nuper, in somniis —haud falsa narro— omnia circum nocte opacissima obducta conspexi! En... opperiebamur —memini— dum sol de more oriretur. Qui, cum moraretur, quadam de causa orbem terrarum retardari animo finxi, quominus singulas partes soli illustrandas et fovendas offerret. Sed, cum matutina et postmeridiana tempora sine luce essent consumpta, aliquot *atomicorum globorum,* qui dicuntur, displosorum causa terras, jam non libratas, de via potuisse deflecti et in caeli nova regione nullo collustrata sole versari coepisse putabam. Jam tempus erat, quo consuerat occidere sol, nec jam illuxerat! Tum omnes magnus terror atque formido invasit: hominum ego audiebam clamores ululatusque nec non animalium flebiles voces. Ad caelum praeterea manus eos vidi extollentes Deumque precantes et se suosque plorantes. Mihi bene quidem evenit —si tanto in discrimine rerum ac terrarum caelique exitio hoc dici potest— quod liberos uxoremque, cara mea pignora, una mecum habebam. Itaque cum iis

www.culturaclasica.com

—aberant heu! sorores, frater carissimus aberat— veluti meo pondere pressus atque gravatus, metu concutiebar mortem exspectans, quoad... sum exper-rectus.

Sed ad rem redeamus. Sane in quibusdam planetibus degant de diur-nariorum sententia animantes —nec id primi excogitaverunt [1]— sed tam ridicula nolint effingere, neu legenda apponant hominibus quae iis terroris causa sint. Quidam homo nuper mortem sibi conscivit, ne a *Martianis* de-prehenderetur. Alterum autem insanisse legimus. Quid? Infantes nonne magno vidimus timore occupatos, ne de caelo *astronautae* ignoti descenderent?

Desinant igitur rumorum isti et perturbatarum visionum captatores ineptiis sua scripta replere! Quomodonam cum iis stet *Ciranus* ille *Gerbe-rascensis*, lepidissimus scriptor? Qui autem *Miunchausenius* heros, cujus tot mira pueri legimus?

Quod si quis mihi obiecerit neminem vetare posse quemque ad arbi-trium suum omnia fingere mente, ego respondeam: nonne Dei magnitudinem illam minuere est tam stulta effingere et in vulgus proferre? Divinum immo Numen ejusque potentiam ac majestatem obtrectant, qui tam ridiculas coni-ciunt res.

Suspicienti mihi quoque et laquearia caelestia tot distincta sideribus contemplanti, haec sponte animo occurrunt: cum tot sint sidera caeli, quae numquam numeravit quisquam nec poterit umquam, quomodo fieri potest ut unus, hic scilicet orbis noster, qui, quasi micula arenae in immensa rerum universitate versatur, semina concipiat, educet, augeat et efficiat ut omnia floreant et in suo genere pubescant et aliorum in aqua, aliorum in aëre animantia oriantur? Cur tot orbes stellarum, tot soles Deus ille construxit atque aedificavit? Uti nobis ornamento tantum atque deliciis essent? An vero hic, in nostro orbe tantum vitalia posuit, ceteris autem solitudines vastas, aeterna silentia, inanitatem et ipsam mortem attribuit?

Ego non mirer esse quemquam, qui sibi non persuadeat me cupere posse ex corpore, quo tamquam involucro amicior, cum animo meo sejungi et hinc extolli sublimem. At mihi venia detur, quod nemini officiam.

«En, jam solutus compedibus istis, libratis alis, per spatia immensa sublime peto et magis magisque in caelum ascendo. Jam quasi punctum orbis terrarum procul nigrescit... en evanescit. Celeriore cursu in novas

---

1. Veteris plurimi docti homines nec non recentioris aetatis sunt qui modo per ludum modo serio alia hominum genera in quibusdam planetibus et in luna esse adfirmarunt, quorum in numerum hi sunt referendi: *Lucianus* «Vera hist.», *Pythagoras* «Chalcid. in Timae. Gassendi, 1.459», *Epicurus* «Cic. De nat. deor. 1.26; Plut. De plac. phil. 2.1.», *Plato* «Macrob. in Somm. Scip., Plut. De oracul. defect. et Quaest. Platon.», *Proclus* «Fab. B gr. 1 c.», *Metrodorus* «Plut. De plac. phil. 1.5». *Nicolaus Cusanus* «De doctr. ignorant. 2.11», *Thomas Campanella, Joannes Locke, Christianus Volfius, Saverius Bettinellius* «Il mondo della luna», *Ciranus Gerberascensis.*

www.culturaclasica.com

feror aetherias regiones. En, caeruli discissa plagula caeli, remotissimi mihi patefiunt recessus! Quanta nunc cum commoditate caelestia corpora contemplari possum, quorum causa excruciantur et anguntur homines infra! En Veneris sidus soli nimis propinquum, en stella Mercurii eadem fere propinquitate torrida... Jam mihi oculorum acies sole praestringitur... Inde regredior... En Martis stella coruscans, en Jovis Saturnique planetes... Nec meum intermittitur iter. Palatii vix vestibulum attigi, quod Deus ille omnipotentissimus fabricatus est. Quanta admirabilitate quantoque ornatu est divini Artificis domus quandoquidem aedificium tam mirabile partim habitandum partimque spectandum hominibus dedit! Ubi nunc orbis terrarum? Ubi solivaga luna? Quot milia stellarum aspicio! Suntne animantes istic? Et si sunt, quaenam iis facies? Quae iis consilia, qui denique mores...?

Virtusne regnat istic? Iniquitatemne atque improbitatem exstinxistis et delevistis? Utimini mente et ratione an sicuti nos inservitis amentiae? Sedentes in solio et insigni capitis decori sceptriferi reges sunt vobis an ingeritis tura tyrannis, an uti nos spe ducimini ultima dea...? [1]».

Multum erraverim, sim sane amens! At in divina potentia innititur error meus. Qui autem evincas me in errore versari? Quod si dicis —nonne sentis?— divinae potentiae finem imponis! Ego autem, cum mundi fines propagavero, divini Artificis potentiam amplificavero.

Peuples des cités lointaines
Qui rayonnent chaque soir,
Sentez-vous vos âmes pleines
D'un ardent et noble espoir?
Luttez-vous pour la justice?
êtes-vous déjà vainqueurs?
Ah! qu'un hymne retentisse,
A vos coeurs mêlant nos coeurs [2]!

Frusinone, in Italia.

AMADEUS PACITTI, Prof.

1. Quae virgulis sunt interclusa ex Leopardi opere sumpsi, quod «zibaldone» inscribitur, et libere Latine reddi.

2. MAURICE BOUCHOR.

www.culturaclasica.com

FUNERE MERSIT ACERBO

(Ex I. CARDUCCI)

O qui florigeri dormis in vertice Tusci
Collis, apud patrem, frater adempte mihi,
Nonne, modo, tumuli viridi sub gramine, ad aures
Leniter insonuit vox gemebunda tuas?
Ille meus puer est, qui, pallida imago, sepulcri
Ostia sola tui percutit usque manu.
Is, qui te magno renovabat nomine, vitam
Quam tu fugisti, frater, et ipse fugit.
Heu, non ille fugit!... Dum per viridaria ludit,
Mentem perlaetis captus imaginibus,
Est subito tetra mortis circumdatus umbra
Infernasque tuas jussus adire domos.
Comiter excipias illum: convertit ocellos
Nam soli et matrem nomine saepe vocat.

AD VERGILIUM

(Ex I. CARDUCCI)

Ut cum combustos campos aestate calente
Nocturno recreat luna benigna gelu,
Perque viam, splendens albo sub lumine, ripis
In brevibus fundit murmura rivus aquae;
Et secreta latens ramis philomela serenum
Blandis carminibus replet inane suis,
Sistit et auscultat peregrinus, et immemor aevi,
Fulvas, queis arsit, cogitat ipse comas;
Orbaque ploratus mater, quae fudit inanes,
Ad nitidum caelum lumina saepe levat
E tumulo, et mentem diffusa luce serenat;
Interea rident mons pelagusque procul,
Et levis arboreas per frondes aura susurrat:
Tale tuum carmen, dive poëta, mihi.

Convertit FRANCISCUS ALOISE
Seminarii Tropiensis, in Bruttiis, Rector

Kal. Jan. a. 1957.

www.culturaclasica.com

NOVA ET VETERA

DE TAENILUDIO

Tempus est jam lusionem pilarem ad umbilicum adducere, ut cum Horatio loquar. Restat enim, ut pilae reticulique manubriati ludum[1] enarrem, sicuti ante annum promisi.

LUDI ORIGINES, INCREMENTA, NOMEN. — TAENILUDIUM apud Gallos media, quae dicitur, aetate ortum pedetentim ad aliquas gentes perlatum est. In Gallia *jeu de la courte paume* appellabatur. Sic factum est, ut in suis *Colloquiis familiaribus* de pilae palmariae ludo sermonem instituerit Des. Erasmus Roterodamus[2]. In Britanniam invectus nomen *tennis* jam ante an. 1368 accepit. Ibidem etiam voces, quae sunt *taenisia, taeniludium, taeniludius*, procusae sunt ad rem latine significandam[3]. Neque quicquam video causae, cur haec vocabula adhibere non sustineamus, cum facilia sint intellectu et omnibus gentibus usitatae.

Quantopere autem pilae palmariae ludus apud Gallos olim in deliciis fuerit, inde manifestum fit, quod anno 1657 Lutetiae Parisiorum, ut unum dumtaxat afferam exemplum, 114 sphaeristeria numerabantur, in quibus pilae palmariae ludus exercitabatur. Atque omnes Galliae reges summo ardore indulgebant huic ludendi generi. Imprimis Ludovico XIV regnante floruit. Nec mirum, quod eam ob causam id ludendi genus nomine regii ludi est decoratus. Notissimum autem est Versaliense sphaeristerium, quo a. d. XII Kal. Jul. a. MDCCLXXXVII Congressus Nationalis, qui dicitur, de re publica constituenda deliberaturus convenit. Qui nimirum ludus inter Galliae fines non constitit, sed annis volventibus per universam Europam adeo repsit, ut in omnium fere principum aulis atque etiam in studiorum universitatibus coleretur. Videtur autem ludus pilae palmariae peculiare procerum atque divitum fuisse oblectamentum. Ideo mirum non est, quod idem ludus Gallica illa rerum Conversione una cum procerum privilegiis abolitis remotus est ab usu: Servant hujus rei in cultus civilis historia conspicuae memoriam multa adhuc arearum viarumque in urbibus nomina. Sed nostris diebus pilae palmariae

---

1 BACCI, *Lexicon*, Romae, 1955 s. v. *Tennis*.

2. DES. ERASMI ROTERODAMI *Colloquia Familiaria*, ed. Petrus Rabus, Ulmae 1712, p. 50 sub rubrica *Pila*.

3. SKEAT. *Etymological Dictionary of the English Language*, Oxonii, 1898, p. 630.

www.culturaclasica.com

ludus plane in desuetudinem venit. Ejus locum occupat ludus, qui vulgato nomine *Lawn-tennis* nuncupatur et fere sub divo exercetur. Aedificium autem, in quo pila palmaria ludebatur, 28 metra in longitudinem, in latitudinem explebat 10 metra. Ambiebatur circumcirca muro ad minimum 7 metra alto, cui impositae erant columnae, quibus tectum sustentabatur. In aedificii parte interiore, cujus pavimentum, aut tenuibus lapillis stratum aut lithocolla [4] roboratum, linearum reti erat discriptum, ab una parte in longitudinem et hinc inde in latitudinem patebant humiles cum tectis obliquatis porticus, quae varias habebant aperturas: aperturam primariam, aperturam portae, aperturam secundariam, postremam aperturam, cataractam, interiora *(ouverts du premier, de la porte, du second, du dernier, grille, dedans)*. Eo autem, quod porticus cum interioribus *(dedans)* erant additae et nudo muro longitudinali erat projectura, quae *tambour* i. e. tympanum audiebat, differebant recentiora pilae palmariae aedificia ab iis, quae antea, in Germania potissimum, adhibebantur, aedificiis, quae *jeux carrés* i. e. sphaeristeria quadrata dicebantur.[5]

Taeniludium igitur, cum olim in aedificio peculiari arte instituto exerceretur, quodque pila ludendi genus nostris diebus plane in desuetudinem venit, jam solummodo in pratis, in herbis, in areis lithocolla solidatis agitur et, ut taeniludio in domibus exercitato opponatur, *Lawn tennis* nomen nactum est i. e. taeniludium pratense.

Leges ludendi. — Ex taeniludio autem, quod sub tectis exercebatur, evolvit sese pratense taeniludium altera proximi saeculi parte atque nostris diebus per totum orbem diffusum ubique gentium suos habet fautores. Ejus leges annis 1877 et 1878 Vimbledonii, in Britanniae urbe, constitutae usque ad annum 1888 ab exercitationum sodaliciis, quae Marylebonensis edendo oppiduli ludo circulus et Universae Angliae taeniludii pratensis sodalicium *(Marylebone Cricket Club* et *All England Lawn-tennis Club)* dicebantur, fideliter administrabantur. Sed anno 1888 sodalicia, quae modo appellavi, sua munia tradiderunt sodalitati taeniludii eodem anno conditae. Anno autem 1883 in Americae septentrionalis civitatibus foederatis hujus pilaris lusionis studiosi societatem inter se inierunt, quae nomen vulgo *United States National Lawn-tennis Association* accepit i. e. Foederatarum Civitatum publica pratensis taeniludii sodalitas. Quae et Britanniae et Americae sodalitates exercitationum postea leges ludendi et certaminum regulas ita composuerunt, ut inter se congruerent. Tertia sui juris in hoc genere proles succrevit anno 1902 Germanorum circulus reticulo et pila ludentium. In Gallia taeniludii administratio est penes Unionem societatum Francogallicarum ludicrorum athleticorum, cum ceterarum gentium taeniludii circuli alius post alium taeniludii

4. Bacci, *l. l.* s. v. *cemento, Beton.*
5. Ad rem cf. I. Marshall, *Annals of Tennis*, Londinii 1878.

www.culturaclasica.com

pratensis globo Britannico sese adjunxissent. Nostra autem memoria Montreux, in Helvetiae urbe, sedes est primaria sodalitatis pila reticuloque ludentium.

TAENILUDIUM PRATENSE. — Taeniludii pratensis ea est ratio, ut sub divo in area strictim discripta et reti per medium campum diducto in duas partes divisa —78 pedes anglicos longa, 27 pedes anglicos lata, cum singuli contra singulos ludunt, verum 36 pedes anglicos lata, cum tres aut quattuor pilicrepi inter se certamen faciunt—, pila 55 grammata pendens reciprocetur. Rete autem, quod postibus alligatum et per mediam aream tensum ludendi spatium in duas partes dividit, tres pedes et semipedem altum est ad extrema, in media parte tres pedes explet. Illas verum tamen ludendi campi partes in monomachia aut certamine singulari a singulis, in duplione *(juego doble)* a binis lusoribus reticula manubriata agitantibus ita defenduntur, ut pilam ab adversariis in suam partem missam super rete reverberent. Si quis pilam fefellerit aut contra rete egerit aut miserit extra cancellos, ipse amittet vel sua ipsius factio ictum, qui adversario adjudicatur. Qui primus quattuor evicerit ludos, penes eum est ludus. Sunt autem sex faciendi ludi, ut actus [6] vincatur. Certamen ex compluribus constat actibus.

Origenes et incrementa ludi reticuli manubriati quandoquidem quam brevissime explicavi, videamus penitiora.

PENITIOR EXPLICATIO. — Ludi ergo manubriati reticuli ita sunt comparati, ut pila aut a duobus lusoribus aut a duobus lusorum paribus intra areae certae limites secundum certas leges supra rete ultro citroque mittatur ope reticuli manubriati. Ex lusorum nexu distinguuntur virorum aut mulierum certamina singularia [7], in quibus in altera utra parte singuli viri aut singulae mulieres pila datatim ludunt et virorum aut mulierum certamina duplicia [8], in quibus par collusorum ab altera utra parte pilam jaculatur ac denique mixtum certamen duplex [9], in quo ab utraque parte singulae mulieres singulique viri scite colludentes pilam mittunt.

CAMPUS TAENILUDII. — Campus taeniludii singulari certamine destinatus in longitudinem 23 metra cum 77 centimetris complectitur, in latitudinem 8

---

6. «Actus», vox a scaenicis mutuata, hic id significat, quod germ. *Satz*, aliis linguis *set* hisp. *partido* dicitur.
7. «Certamen singulare», germ. *Einzel*, gall. *simple;* hisp. *individual;* angl. *single.*
   a) «mulierum certamen singulare», *Dameneinzel, simple dames.*
   b) «virorum certamen singulare», *Herreneinzel, simple messieurs.*
8. «Certamen duplex», *Doppel, double; doble, double.*
   a) «duplex mulierum certamen», *Damen-Doppel, double dames.*
   b) «duplex virorum certamen», *Herrendoppel, double messieurs.*
9. «Duplex certamen mixtum», *gemischtes Doppel, double mixte, doble mixto, mixed double.*

www.culturaclasica.com

metra habet et 23 centimetra. Campus reti bipartitus est. Retis altitudo medio in campo est 91 centimetrorum, rete ipsum hac retinaculo 5 centimetra lato deprimitur. Latera campi et longitudinalia et latitudinalia lineis ambiuntur. Dicuntur lineae laterales. Intervallo 6 metrorum et 40 centimetrorum a reti facto linea ducitur, quae a linea fundamentali et a reti in utraque campi medietate aequaliter distet. Spatium autem, quod inter missus lineam et rete protenditur, per medianam missus lineam in duas aequales dispertitur partes, quae missus areolae nuncupari possunt. Alter autem uter limes transver-



a b linea lateralis ludi duplicis *(línea lateral para dobles)*
c d linea lateralis certaminis singularis *(línea lateral para singles)*
e f linea servitii, linea primi missus, linea missionis *(línea del centro)*
g h linea mediana *(línea media)*
k notaculum meditullii, meditullium limitis transversi *(demarcación del medio)*
a a linea fundamentalis, linea limitanea
b b limes transversus *(límite transversal)*
l m rete
k k excursus

1 quadrum servitii, area primi missus, quadrum datoris; cui respondet ex altera parte **(1')** quadrum factoris, area factoris
2 arbitri sella

www.culturaclasica.com

sus notaculo meditullii[10], quod 10 cm. longum et 5 cm. latum est, in duas dividitur partes aequales. Post transversum limitem patet excursus quidam in latitudinem ad minimum 3 metrorum cum 65 centimetris.

Campus certaminis duplicis in latitudinem 10 m. et 97 cent., in latitudinem 23 metra et 77 cm. Superat igitur campum certaminis singularis uno metro et 37 cm. Eae autem linearum lateralium ludi singularis partes, quae inter utramque missionis lineam jacent, lateralis missionis lineae dicuntur. Ceteroquin campus concertationis duplicis congruit cum certaminis singularis discriptione. Verumtamen ludi singularis inter lineam fundamentalem et lineam missionis limites in duplici ludo ab utraque parte deesse possunt.

PILA. — Pila autem est sphaera gummea suturae expers, quae panno laneo contegitur. Ejus diametros est fere 6 centimetrorum et semissis, pondus 57 grammatum. Pila ita contexta est, ut ad minimum in altitudinem unius metri cum 27 centimetris exsiliat, ad summum in altitudinem unius metri et 52 cm., si in durum substratum thermometro 20 gradus caloris indicante inciderit.

PUNCTORUM AESTIMATIO. — Jam transeo ad punctorum aestimationem. Numerandi ratio fit secundum puncta et seniones. Si lusor primum punctum vicit, hoc valet quindecim numeros ei commode. Alterum autem punctum si nactus est, id triginta valet numeros ei commode. Tertium vero punctum cum adeptus est, valet hoc ei commode quadraginta numeros. Quartum qui vicerit punctum, victor est certaminis, nisi uterque lusor quadragenos habet numeros. Quae res pro aequali forruna[11] reputatur. Proximum autem, quod vincitur, punctum pro meliore condicione est[12]. Si vero idem lusor proximum punctum vicerit, vicit certamen. Si vero alter lusor proximum punctum tulerit, hoc iterum loco aequalis fortunae habetur et sic deinceps usque dum alter uter lusorum duo post fortunam aequalem renuntiatam subsequentia puncta nactus sit, tunc demum superior ex certamine exstitit.

Senionem[13] accepit is lusor, qui sex prior vicerit ludos, nisi uterque quinos ludos vicerit; hoc utrisque 5 numeros valet. Ludus autem, qui vincitur proximus, est pro meliore condicione ei commode, qui superior discesserit. Si eum, qui subsequitur, ludum vicerit, senionem vicit. Si vero adversarius e proximo ludo exstiterit superior, hoc valet 6 numeros et sic deinceps

---

10. «Notaculum medianum», germ. *Mittelzeichen*, angl. *centre mark*, gall. *demarcation du milieu*, hisp. *demarcación del medio*, it. *centro della linea di fondo*. Etiam «notaculum meditullii» appellari potest.

11. «Aequalis fortuna», germ. *Einstand*, gall. *égalité*, hisp. *empate*.

12. «Melior condicio», *Vorteil, avantage, ventaja, handicap*.

13. «Senio» idem significat, quod actus. Vide adnotationem sextam.

www.culturaclasica.com

usque dum alter uter ex duobus lusoribus duos plus evicerit ludos quam alter.

In certamine ad summum 5 seniones locum habent; si mulieres colludant, ad summum tres. De prima pilae missione et remissione fit sortitio. Cui sors prospera contigit, ei data est optio, ut aut primum pilae missum et repercussionem aut certam eligat campi partem, cum penes eum, cui minus in sortitione favit fortuna, sit arbitrium ex eis, quae alter omisit, id deligendi, quod ipsi opportunum videtur.

PUNCTORUM AMISSIO. — Punctum amittit lusor aut fert adversarius,

1. si cui prima contigit pilae missio, duo deinceps committit vitia,
2. si factor missam pilam remittit, antequam terram tetigit.
3. Ambo vero lusores amittunt puncta,

a. si pila, quae est in ludo, non remittitur, priusquam bis deinceps humum tetigit.

b. Item punctum perdit, qui pilam ita reverberat, ut humum extra lineas campum ambientes incidat.

c. Nec aliter se res habet, cum lusor pilam volantem excipit. In hac quoque re peccat, etiamsi lusor extra campum stat.

d. Puncto etiam cadit qui in missione plus semel tetigit pilam.

e. Lusor porro, qui ipse aut reticulo manubriato aut alia re rete, postes, quibus rete alligatum est, retis tenaculum aut humum areae adversariae tetigit, dum pila in ludo versatur, parum sibi commode ludit. Punctum perdit.

f. Item peccat qui pilam priusquam rete sepervolaverit, volantem ferit.

g. Ultimo loco punctum non fert, aut amittit, qui inter ludendum pilam alia re ac reticulo manubriato attigit.

Adnotandum est etiam, si pila, qua luditur, aliquam stringit partem supellectilis campi, portam, humum attigit, lusorem, qui eam pilam miserit, punctum ferre, si vero hoc fiat, antequam pila terram contigerit.

DE PILAE MISSIONE ET REMISSIONE. — Jam opportunum est pauca verba facere de prima pilae missione et remissione quod de his ictibus peculiares conditae sunt leges. Primum ritus de prima pilae missione explicabo.

Ictus, quo quilibet ludus inchoatur, vocatur primus missus, quem vulgato nomine servitium nuncupant. Quem qui dat, dator appellatur, qui vero pilam missam remittit, ei factor est nomen (cf. PLAUTI *Curc.* 297). Primum autem pilae missum cum dator conficit, post lineam limitaneam aut fundamentalem stare debet. His autem diebus primus pilae missus tantummodo a summo administratur ad imum. In qua re dator bracchio flexo reticulum attollit cubito post caput reducto, ut reticulum infra pendeat corpore paululum reclinato.

Tum bracchium cum reticulo celeriter tenditur supra, qua in summo

www.culturaclasica.com

positu pila, quae manu libera super laevum umerum in congruam altitudinem jacitur, medio reticulo feritur. Sub ictu dator laevo pede praeposito, dextro paulum reducto primis insistit pedibus. Corporis autem pondus sub pilae missu a dextero retriore pede in anteriorem laevum pedem agitando transfert. Ante missum primum dator utriusque pedis vestigio post limitaneam lineam in quiete posito ita stare debet, ut cogitatam prolongationem notaculi mediani[14] et lineas lateralis non excedat. Usque ad pilae missum uterque pes post limitaneam lineam opus est altero vistigio firmiter humi collocato habeat positum. Prima autem pilae missio est legitima, cum pila reticulo attacta est.

Ludendi initium fit alternis a dextra notaculi mediani parte, tum a parte sinistra. Pila missa rete transvolare et intra lineas aream factoris[15] adversariam ambientes humum decidere debet, priusquam factor remittit.

Primus missus reputandus est pro vitio,

a. si dator non utroque pede post limitaneam lineam stat;

b. si missum primum non ex lege aut a parte non legitima facit;

c. si pila rete non transvolat nec intra factoris aream quadratam decidit;

d. si dator pila errat;

e. si pila a datore missa, antequam humum attigit, aliquam partem strinxit earum rerum, quae ad stabilem pertinent campi lusorii instructum, ut postes, suggestum, arbitri sellam, cet. Post primum in ludo auspicando commissum vitium datori est jus quidem ex eodem loco repetendi missum sed si ex loco non legitimo factum est ludendi initium, ex altero loco resumendus est missus. Primus autem missus est irritus, si pila rete, retis ora, retis tenaculum attactum est atque missus primus datus est, antequam factor erat in procinctu. Utri tamen factioni missum auspicandi jus obtingat, sorte ducitur. Qui vero in primo ludo fuit dator, in altero ludo fit factor.

In ludo duplici par lusorum, quod primum pilae missum sortitum est, decernit, uter lusorum in primo missu dator sit, alter in tertio missu datoris fungitur munere. Eadem ratione alternat munus datoris apud factionem adversariam. At in senione alternare non licet. Pro vitio est in duplici ludo, datoris socium attingere. In duplici porro ludo pila missa alternis ab altero socio remittenda est, alioquin detrimentum punctorum accipitur. Neque obliviscendum est datorem auferre punctum, cum pila, humo nondum tacta, factorem ipsum, ejus vestes, reticulum aliasque res strinxerit.

---

14. Cf. adnot. decimam.

15. «Area factoris» illa est, ubi factor stat. «Factor» autem is est, qui pilam reticulo remittit. Hisp. vocatur *revés*, angl. *receiver*, gall. *relanceur*, germ. *Rückschläger*. Verumtamen «datoris aream» nuncupavi eam taeniludii campi partem, quam Germani *Aufschlagfeld*, Hispani *cuadrado de servicio*, Itali *zona de servizio*, Galli *carré de service*, Angli *service count* dicunt.

www.culturaclasica.com

Quoniam de datoris officiis disputavi, jam loci est enucleare, quid factori sit observandum. Factoris est pilam missam reticulo manubriato remittere. Est autem pila remissa valida, si intra areae adversariae limites resilit aut resiliret, nisi antea agitata esset. Etiam bona est, si pila rete, postes retis ornaturam retisque tenaculum attigit supervolavitque et humi intra adversarii aream subsiluit. Neque minus legitima est factoris repulsio, si pila adverrii aream campi attigit et super rete resultat aut vento super rete agitatur. Quae res cum ita sit, factori, nisi puncti auferre velit jacturam, sine retis attactu remittenda est pila. Item valida est pila remissa, cum pila ab exteriore parte postis rejecta est. In qua re nihil refert, num ad retis altitudinem reverberetur pila necne, si modo excussa in legitima campi area subsiliat. Aeque bene pilam jaculatur is factor, qui reticulum manubriatum super rete porrigit, postquam pilam remisit, si modo pila rete ante supervolaverit. Lusor autem, qui pilam ab alia pila in ludendi campo repercussam retundit, validum facit ictum, si arbiter clare cognovit pilam verberatam esse legitime.

In duplici autem ludo id porro tenendum est pilam a datore missam alternis ab altero factore esse remittendam. Praeterea factor puncti reportat augmentum, cum dator bis deinceps in prima pilae missione administranda peccavit.

LUDI PRAESTANTIA. — Gratias ago vobis, lectores humanissimi, quod patienter me persecuti estis ludi reticuli manubriati dilucidantem rationem. At cavete credatis hunc ludum nulla praeditum varietate parare fastidium et spectatoribus et lusoribus. Di, meliora! Adite reticulo manubriato ludendi campum! Spectate lusorum in corporibus movendis venustatem, crurum pedumque agilitatem, animi in excipienda et mittenda pila praesentiam! Nullum corporis est membrum, quod non exerceatur. Tum lusorum in aprico procursus et recursus pernicitasque quantopere augent corporis animique valetudinem, servant vigorem et firmitatem! Quam aptam post sedentarios labores hae exercitationes ludicrae afferunt virium compensationem! Servant ossa vertebrata bene. Et ludus ipse quam varius est atque multiplex! Ille dat pilae volatum, hic dimidiat volatum i e. ictus ita moderatur, ut pila proxime post resultum a solo rete brevi volatu transvolet[16]. Alius dat ictus directos[17], alius potiores habet ictus inversos[18]. Jam pilam vibrat jam secat, ut in aliam regionem torqueatur et flectatur aut retro. Apertos sane lusor debet habere oculos. Hic pilae volantis spatium alternis augendo alternis minuendo adversarium fatigat sectis ictibus usus efficacissime, ille in volucribus exci-

16. «Volatus dimidiatus», germ. *Halbflugball*, angl. *half volley*, gall. *demivolée*, hisp. *mediadescarga, botepronte.*

17. Germ. *Vorhandschlag*, angl. *fore hand-stroke*, gall. *coup droit*, hisp. *golpe derecho.*

18. Germ. *Rüchhandschlag*, angl. *back hand-stroke*, gall. *coup envers*, hisp. *golpe revés.*

www.culturaclasica.com

piendis est peritissimus pilis. En quam certum habet ille sensum aptum capiendi locum! Ad omnes adversarii ictus est paratissimus. Hic quamvis aptum sciat tenere locum, tamen ejus lusus caret varietate. Videtur tiro esse. Ille vestigia premit. O quam alter scitissime tractat reticulum, quanta venustate! Pilae urget volatum. En vide, pilas quam versute dat solum radentes. Ille sublimes mittit pilas, quanta quiete ducit reticulum. Quae si vobiscum reputatis, lectores, cognoscere puto vos hoc lusionis genere totum occupari atque teneri hominem. Etiamsi minus haec lusio spectaculorum est exhibitioni, minusque allicit multitudines, ut in follis et calcis ludo videre est, attamen maxime conducit valetudini augendae et servandae id, quod est praecipuum. Periculum facite! Quam apta, quam congrua, quam suavis, quam jucunda fatigatio post animi occupationes nimium protractas occupat corpus, quam dulcis accedit et animi et corporis virium refectio! Nec mirum, quod huic ludendi generi media aetate et ineunte aevo recentiore imprimis reges, proceres, viri sedentarias artes profitentes summo studio maximoque ardore indulserunt. Recte igitur Galli fecerunt, quod ludo reticuli manubriati ingeniosum pro sua indole nomen ludi regii indiderunt. Valete!

JOSEPHUS HOLZER
Rector, Saraludovicensis

www.culturaclasica.com

EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIUM

Andreas Avenarius, S. V. D., Josepho Mir, C. M. F.

Fuit cum non diffiderem lingua me Latina ita posse assuescere, ut, qua alii dexteritate sermone uterentur patrio, eadem ego in omnibus rerum humanarum divinarumque generibus garrirem Latine. Porro illam lacunam lexici, quae his ducentis annis nimio nationalismi cultu effecta est, non mihi magnopere extimescendam putabam, cum ingentem vocum thesaurum effodi posse viderem ex inexhaustis adhuc lexicis Latinis, Graecis, Barbaris. Sed, ut fit, ita incisae evolanti adulescenti et viro alae sunt, ita per omnes aetatis gradus circumscripta et dimensa tempora sunt, eae semper mandatae et umeris impositae occupationes, ut illis thesauris etiamnunc in lexicis dormientibus non raro, Latine quid garriam, haeream.

Sic nuper, dum ad dentificem prothesiumque dentalium artificem propero, in quadam via conspicor carrum digarium, in cujus sinistro latere legi hanc trium nominum compositionem e media lingua Teutonica factam: *Güternahverkehr*. Heus, inquam, hoc tu nominis, —cui decretum sit omnem missam facere barbariem—, ilico, quam brevissime possit, Latine redde. Sic igitur, qui haec legis, illum titulum interpretare, ut cogites hunc carrum praesto esse ad mercium in vicina loca transportationem. Itaque ego in provincia Latio carrum conscribi jussero, (quam recte ego quamve rectius, a te exspecto), hisce verbis: «Transportandis in vicina mercibus».

Deinde nostrum *Zement* Hispanis *cemento* est, —nam ad manum mihi nunc sunt etiam linguae Hispanicae dictionaria (ne forte mireris folengismum latentem in «dictionario»: Cornu Copiae habet hoc nomen)—. Itaque nuper in documento quodam Latine interpretando dicendum erat novarum aedificationum interim lapides comportari et *Zement*. Cui dubium, quin hoc *Zement*, vestrum Italorumque *cemento* vox Latina sit, «caementum» e «caedendo» derivatum? Caementa autem sunt lapides, sunt saxa, non illa lapidea farina, quae infusa aqua fit quasi bitumen *(hormigón)*, et a recentioribus «lithocolla» appellatur. Recordatus igitur molestos auribus stridores cotidianos earum fabricarum ubi caementa in illam farinam lapideam conterebantur, scripsi jam nunc «molita caementa» proximi anni aedificationibus necessaria comparari.

Venio ad aliud compositum nomen quod est *Stempelkissen*, nam etiam hoc in schedula quaerendorum nominum in mensa mea jacenti scriptum est.

www.culturaclasica.com

Hic a recentissima editione Langenscheidti Hispanica relictus ad Italos confugio, qui rem eam *cuscinetto per i timbri* vocant, Galli simplicius «tampon». Tale utensile, priusquam resciero, quid majores dixerint, aut magis proprie dicendum sit, appellari censeo posse: «tinctile, vel tinctoriolum, vel tinctum» et hunc substantivo nomine quartae declinationis.

Tum nota sunt adverbia hoc genus: «acervatim, ordinatim, catervatim, frustatim, guttatim, stillatim, paulatim, privatim, gradatim, vicatim, ostiatim, serratim, rivatim, rimatim», sescenta alia. Itaque nuper examinans folia scripti nescio cujus pro hoc: «decucurri singulas ex ordine paginas» ultro dicere coepi: Ah, «paginatim» examinavi tua folia. Censen' an non etiam censes nullo negotio hoc novum elegansque adverbium intellegi, etiamsi nullum lexicon referat?

Sunt praeterea duo vocabula a me scripta in ea quam supra dixi schedula. Quorum unum est «tina». Quo tempore inculcabam rimosae memoriae Italorum verba etiam *tinozza* inhaesit. Ecce autem casu nuper rem quaerentis in altera parte Georgesiani Latini lexici in «tinam» incidunt oculi, synonymon labri!

Et nuperrime conspicor inter Italicas novationes *sopraofferta*, Germanorum *Uberangebot*. Notionem vos sic video circumire ut dicatis: *oferta superior a la demanda*. Latii cives et advenas dicturos, vel certe dicere posse arbitror: «emporii, vel venalium rerum, vel mercium redundantiam, vel exundantiam, vel rerum venum dandarum superabundantiam», et aveo scire, quid palaestritis nostris in eo genere placeat.

Non te eram pluribus vel delectaturus vel molestaturus, neque quidquam cupiebam magis, quam ut valetudini prospiceres tuae.

Tyrsirutis, Superioris Palatinatus, Idibus Octobribus a. 1957.

AD PROPOSITA AB AVENARIO VERBA RESPONDETUR

Prothesis dentaria: cum *prothesis* apud medicos membri artificialis appositionem significet, vere es laudandus qui hanc vocem, e medicorum sermone eductam, in usum induxeris; mihique haec locutio prorsus probabitur: «medicum conveni ut prothesim dentariam mihi aptaret», quam alii in «dentes arte factos, fictos, ficticios» (Bacci, *Lexicon*), «emptos» (Mariano, *Nuovo diz. ital.-lat.*, s. v. *dentiera*), «insiticios» (Bione, *Vocabulario della l. lat.*, p. 995) facile convertent. Ceterum, «dentaria» fortasse potius dicenda *prothesis* quam «dentalis».

Carrus transportandis in vicina mercibus: placet omnino, praesertim cum aliud praesto non habeamus verbum neque aptiorem locutionem. De carru tuo «digario» saepius mihi propositum est ad te scribere; scio te his

www.culturaclasica.com

delectari verbis quae sunt *diga, digarius...*, ut automŏlum vel currum aut carrum «automobilem» significes, sed sunt multi qui his vocibus adversentur.

De iis quae ad aedificationem spectant haec tibi perpendenda propono:

Lithocolla: quae vox a Calonghi, Bacci, Egger proponitur et adhibetur ut *cemento, ciment, cemento, Ziment* latine exprimant.

Arenatum: cum vox ex lexicis «calcem arena mixtam» significet, omnino cum voce hispanica *mortero, argamasa [=cal+arena + agua]* congruere videtur.

Rudus: est «pavimentum ex *glarea*, aut ex saxis contusis admixta *calce* solidatum» et ideo verbum hispanicum *hormigón [=mezcla de piedras y argamasa]* optime reddit; ita MARIANO s. v. *calcestruzzo*. BACCI quod *rudus* significat, idem pluribus verbis exprimit: «opus *glarea calceque* structum»; *glarea* sunt minutissimi lapilli, lapides fracti seu motu fluminis contusi. Sunt igitur, ut videtur, voces veterum quibus «tua molita caementa» apte reddi possint, hanc tamen locutionem non prorsus rejiciam; machina vero illa et «machina ruděri conficiendo, apparando» vel, si tibi magis arridet, «machina· molendis caementis» esse poterit.

Tinctorium signatorium appellavi (cfr PALESTRA LATINA, 26 (1956) 170) illud tuum *Stempelkissen* et nostrum vulgare gallicumque *tampón;* «tinctorium» dixi substantivum, quia est «illud quo aliquid tingitur», —si mavis «tinctoriolum» adhibe—; et ut rem subtilius notemus, «signatorium» addamus quod «ad signandum» inservit. Alia mihi minus apta videntur verba.

Paginatim: sunt profecto multae voces quae ita desinunt: hanc te usurpare non ego te prohibebo; erunt alii qui, quo modo mentem tuam latine reddas, optime te docebunt; et tu probabilem dicendi rationem protulisti.

Tina latine est vas vinarium, e quo vinum in pocula defunditur (cfr. FORCELLINIUM, s. v.); *tina* vero, italica vox, latine lacus dicitur; *tinozza* est labrum.

Rerum venalium redundantia, affluentia: italicam vocem *sopraofferta* tu latine «rerum venalium seu merciùm redundantiam, exundantiam», interpretaris idque optime te fecisse censeo. Scias tamen velim Diocletianum imperatorem immensam annonae caritatem coërcere conatum, legem pretiis rerum venalium imposuisse in eaque lege haec rettulisse: «non impedita utique in iis locis, ubi *copia rerum venalium* perspicietur *affluere*, vilitatis beatitudine» (cfr. CIPROTTI, *Ut latine scribamus... quae sit vet. inscriptionum utilitas. Per lo studio e l'uso del latino*, 1942, p. 72; PALESTRA LAT., 16 (1946) 206). Et ideo latine dicamus «res venales redundant, nimium, effuse affluunt, copia rerum venalium affluit; rerum venalium redundantia, exundantia, nimia, effusa affluentia».

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

www.culturaclasica.com

PER ORBEM

Societas Lusitana Studiis Classicis Provehendis. — Hunc nuntium legentibus exsultantes deferimus: Conimbrigae *(Coimbra)* hanc Societatem Lusitanam Studiis Classicis provehendis constitutam esse, cui est nomen *Associação Portuguesa de Estudos Clássicos.* Quae Societas totis viribus conabitur ubique promovere et quam amplissime diffundere quae ad studia classica spectant, viam rationemque his disciplinis tradendis aptissimam quaerere et propagare, eos qui rebus classicis pervestigandis operam navant adjuvare, omnibus patefacere quanti sint quamque necessariae in pueris et civibus instituendis litterae quae dicuntur classicae. Omnes huic societati nomen dare possunt, praesertim qui doctores sunt vel in Universitatibus vel in Collegiis vel in Seminariis, omnesque qui philologiae, litteris, archaeologiae, philosophiae, historiae, epigraphiae, palaeographiae, numismaticae impense vacant. Fausta, felicia, fortunata Societati huic Lusitanae aestuanti animo ominamur. Nos qui contemplari tenemur quo modo —opera praesertim Adjutorum a Publica Institutione— haec studia apud nostrates vilescant, misere vexentur, pessum fere dentur, non possumus non gaudere cum novas Societates videmus oriri quae humanitatem cultumque foveant atque tutentur.

Thesaurus Augustinianus. — Patres Eremitae Sti. Augustini, in Provinciam Batavam cooptati, consilium inierunt «Thesaurum Augustinianum» conficiendi, quo, in modum glossarii disposito, omnia verba visque varia subjecta verbis a Sto. Augustino usurpata, ratione et via disposita, continerentur atque explicarentur. Adhuc omnia verba et res ad bibliographiam spectantes in scidulas transcripta et in ordinem digesta, sapientium studio subiciuntur. «Thesauri» sedes est *Wetenschappelijke Biblioteck,* ad urbem Eindhoven, in Batavia. Operi conficiendo praeest cl. v. Michaël van den Hout, in gymnasio Augustiniano Eindhovensi doctor, cui adsunt inter alios, R. P. E. Hendrikx, in Universitate Noviomagensi doctor, et R. P. M. Verheijen, qui scholas et colloquia moderatur «Facultatis Litterarum Parisiensis». Utinam fructus tanti operis quam primum percipere possimus animoque assequi.

Socii illius Societatis cui nomen *Deutschen Altphilologenverbandes* Hamburgi a die 12 ad 15 m. junio a. 1957 ut annuam celebrarent congregationem convenerunt, in qua inter alia clari magistri egerunt de causis quae magnam Romam effecerunt (A. Heuss), de clementia Caesaris (Otto Leggewie), quid veteres Graeci de vero senserint prout ex eorum lingua erui potest, quo modo adumbrari possit res metrica ex iis quae poëtae Romani affirmarunt, de Seneca et servis, cet.

www.culturaclasica.com

Certamen Capitolinum VIII. — Simul ac Certamen Capitolinum VIIII nuntiavimus, ad nos pervenit nuntius de scriptoribus in VIII praemio donatis. Hi fuerunt Josephus MORABITO, qui praemium Urbis —Lupam dico Capitolinam— meruit commentatione *Quies Tyndaritana* inscripta. Alterum praemium duxerunt ex aequo petitores Albertus ALBERTINI et Theobaldus FABBRI, qui scripserant commentationes quibus est index *Exsul et Captivus* et *Biduum piscando feriatum.* Laude ornati sunt Albertus ALBERTINI, Nilus CASINI, Edilius MARELLI, Joachim PETROLLI, Ignatius POMA, Michaël FUSCO. Id maxime notandum hos petitores omnes —et tres praemio donati et alii laude ornati— ex magistris esse qui in scholis Rei Publicae Lycealibus, quae dicuntur, litteras Latinas tradunt. Dignum sane quod attente perpendatur. Beati alumni magistros habentes qui non solum linguam Latinam doceant, sed etiam calleant, diligant, sapiant! Ex imo corde Jos. MORABITO et A. ALBERTINI vehementer gratulamur, qui hanc PALAESTRAM suam suis perjucundis commentationibus non semel decorarunt.

Societas Orbiliana. — De *Societate Orbiliana* locuturus, credo lectoribus gratum fore illa legere quae G. M. LYNE, Commentariorum qui *Acta Diurna* dicuntur moderator conspicuus, scripsit in commentariis quibus est index *Euphrosyne* (Vol. I, p. 273):

> Abhinc annos novem nonnulli eorum qui in Britannia linguam Latinam litterasque humaniores et ipsi colunt et aliis tradendas curant inter se colloquium habuere de ea ratione qua optime harum rerum elementa discipulis impertiri possent: quid enim saepius —nec mirum!— in ore solet esse praeceptorum quandocumque in unum congregantur?
>
> Ne rem longius producamus, omnes tandem consenserunt Horatium Flaccum rem acu tetigisse cum haec bene nota scripsisset: «Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci»; sequique ut illud *dulce* sedulo exquireretur (cum quod *utile* esset plane abundaret!). Itaque societatem colerunt eo consilio ut omnia undique investigarent quae usui auxilioque linguae Latinae praeceptoribus esse possent, atque quam plurimis eorum praeceptorum aperiret inventa: praeterea ut nova velut oblectamenta vel «amoena deverticula» ipsa —si forte posset - et excogitaret et in lucem proferret.

Quod propositum, omni laude dignissimum ut attingerent, commentarios edere animum induxerunt:

> Horum «deverticulorum» primum erat ille libellus, cujus editio nova ter in anno apparere solet, *Acta Diurna* nuncupatus. Haec *Acta*, in primis ad lectores juveniles delectandos (et delectando erudiendos) parata, editores ita condere conantur ut temporibus C. Caesaris et M. Ciceronis in lucem prolata videantur. Picturis, jocis, aenigmatibus variis ornata, brevi non solum pueris puellisque Britannicis accepta et grata erant sed etiam senioribus non paucis, adeoque a lectoribus aliis sunt commendata ut nunc cujusque editionis amplius XXII milia exemplarium ad omnes fere partes orbis terrarum penetrent.

Fasciculi m. octobris exemplarium XXV milia edita sunt. Quae *Acta* vere jucunda sunt ac lepidissima. Alumnis omnibus maxime commendanda, nam omni ex parte latine scripta eduntur. At Societas Orbiliana alia etiam summo studio summaque sollertia prosequitur. Nam...:

www.culturaclasica.com

Inter cetera hujus societatis opuscula sunt chartae nonnullae murales, multis coloribus depictae, Fasti Latini picturis inlustrati, glossarium verborum Latinorum frequentiorum, aliaque minoris momenti.

Adde quod commercium quoque epistularum fovent, quo discipuli gentium diversarum per epistulas Latine scriptas inter se quasi sodalitatem constituere possunt. Hoc enim modo refutatur sententia falsa eorum qui linguam Latinam his temporibus inutilem esse adseverant.

Qui hunc commercium cum quodam puero Anglico instituere voluerit, scribat oportet ad S. MORRIS, B. A., *The Grammar School*, West Bromwich, in Anglia.

Rogantibus quare *Orbiliana* haec societas sit nuncupata, cum Orbilius a praestantissimo discipulorum suorum *plagosus* fuisse argutus sit, ita paucis est respondendum: «Multo melius fuisse nomine uti unius ex illis «blandis doctoribus» quos scripsit Horatius noster crustula discipulis suis dedisse ut elementa discere vellent quis negare potest? Quorum tamen nomina cum omnino perierint, quid restat? Orbilius, quamvis plagosus, erat ludi magister —vel potius grammaticus—; praeterea et Horatium docuit et centum annos vixit: et quis grammaticus ipse talia facere non cupit?».

Litterae Classicae per Orbem. — Qui commentarios legerit ubi quaestiones de alumnis lingua cultuque Graeco et Romano imbuendis agitantur, id se sentire profitebitur: cultum hunc humanitatemque in summo periculo versari. Quare rationes et viae, ne omnium rerum jacturam patiamur, renovandae sunt vel temporibus aptandae. Tempus breve, multa tradenda, aliarum disciplinarum conflictus, omnia urgent ut quam primum quamque efficacissime pueri cultu classico novis viis instituantur.

Hoc ut assequatur Consociatio Anglica nomine *Latin Teaching*, methodum propugnat quam «directam» dicunt, qua pueri Latino sermone imbuuntur, sermone jam inde ab initio Latino colloquendo. Cujus exemplar sunt libri qui inscribuntur *Principia* et *Pseudolus*, de quibus aliquando amplius nos locuturos speramus. Singulis annis Londini instituit «curricula» brevissima ubi magistri, in hac disciplina tradenda peritissimi factis demonstrant quo modo pueri lingua Latina faciliter erudiri possint.

Etiam *Societas Orbiliana* id mirifice intendit. Superioribus fasciculis de methodo «naturali» spectatae feminae E. PLAUT locuti sumus, nec non de nova ratione «*Via Nova*» ad linguam latinam, et de «*Enchiridio*» ad Graecam ab Editore de SIKKEL vulgato.

Non multos abhinc menses, cl. v. A. PACITTI, rationem, quam ipse repperit, exhibuit; quam, quam apta esset, non argutis rationibus demonstravit sed argumento maximo, usu et experimento.

Nam in Urbe Italica *Arce*, in schola cui cl. v. praeest, pueri et puellae ex schola media, coram Hectore PARATORE aliisque Latinitatis doctoribus, ostenderunt quam facile et jucunde et expedite, optimo utentes magistro viamque sequentes pronam, ipsi linguam Latinam didicissent. At de his fusius alias.

www.culturaclasica.com

Utinam haec exempla alios magistros moveant et excitent, ut relictis iis mediis, quae usu inefficacia patuerunt, aptissima adhibeant, quibus tandem lingua Latina, factis commonstrata ejus utilitate et opportunitate, locum retineat nunquam relinquendum, quemque hodierni barbari arripere conantur.

Antiquitas. — Ricchardum AVALLONE de lingua Latina in lingua, in stilo, in lexico renovanda disserentem legere jam pridem potuerunt lectores nostri ejusque admirari stilum dicendique genus forte, pugnax, incitatum, vibrans. Hic vir, clarus in Universitate Salernitana Doctor, commentarios ab anno MCMLVII evulgat quibus est index *Antiquitas*. In his ea omnia quae ad Antiquitatem spectant colliguntur, sive ad linguam, sive ad artem, sive ad historiam vel litteras pertinent. In his omnibus pertractandis hanc et sibi et secum laborantibus proposuit regulam: «*amicus Plato, sed magis amica veritas*». Qua veluti luce et fulgore illustrati, et veteres quaestiones denuo examini subiciunt, et novas propositas apte solvunt. R. AVALLONE verum quaerit ubicumque est; quod si veterum praejudiciis praepeditum se sentiat, in ea impetum vehementer facit. Ita cum irruit in illam plurimorum artissimam sententiam quae classicos facit solos Ciceronem-Caesarem, Vergilium-Horatium. Hac de re in primo fasciculo agit, commentatione (quam iterum typis mandavit anno MCMLV) cui est index *Nuove linee per la storia della letteratura Latina*, dignissima quae cognoscatur. In ea sic historiam litterarum Latinarum dividit ut periodus «archaica» (vel prae-classica) ab anno 451-50 ad 110-100 a. Ch. n. decurrat, et classica seu aurea ab anno 110-100 ad 135 circiter p. Ch. n., quo anno Juvenalis poëta mortuus est. Periodus vero post classica anno incipiat 135 et anno 636 cum Isidoro Hispalensi finiatur. — Cum Ricchardum AVALLONE dico, minime praetermitto alios in his libellis trimestribus edendis cum illo laborantes. Omnes enim unum opus perficiunt maximo ac perspicuo, strenuo lucidoque in verum amore.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

www.culturaclasica.com

COLLECTANEA

Plura possum hodie afferre scripta quae vexatam nostram quaestionem de studiis classicis pueris tradendis agitant et argumenta adducere quibus pro viribus ea scriptores tutantur. Si quaelibet alia disciplina tam acerrime impugnata esset ut lingua Latina aut Graeca, jam pridem ex omni studiorum ratione sublata esset.

In lucubratione cui est index *O Latim no Liceu Português (Humanitas*, VII-VIII (1955-56) p. 246 sq) cl. v. Americus DA COSTA RAMALHO postulat ut in schola Lusitana melior ampliorque locus linguae Latinae tribuatur. Multa dicit digna quae hîc exscribantur; sed ne plura afferamus, spatii angustiis impedimur. Mihi perplacet quae de lingua «viva» et lingua «mortua» asserit:

E, no entanto, o Latim não é uma língua mais morta —seja-me permitida a expressão— do que, por exemplo, o português medieval que a maior parte de nós não entende sem esforço, e os menos cultos não entendem mesmo.

O português literário também é muito menos inteligível para as pessoas que apenas sabem ler e escrever, do que normalmente julgamos. Uma página de Camilo ou de Aquilino, até para muitos que se prezam de alguma instrução, pode constituir um verdadeiro enigma, indecifrável sem o auxílio do dicionário...

Se a língua é viva, na medida em que é entendida, teremos de reconhecer que a linguagem literária, em todas as línguas faladas, representa uma secção dessas línguas, que pode ser morta para muitos dos que as falam.

E se vamos a avaliar a vida de uma obra, por exemplo, segundo o número dos que a entendem chegaremos a conclusões bastanteinesperadas: *Os Lusíadas*, por exemplo, a epopeia de que todos falamos, e pouco ou nada lemos, são um poema menos vivo, provàvelmente, do que a *Eneida* de Virgílio. A verdade é que o número dos que lêem e entendem o poema latino em todo o mundo é de certo maior do que o dos leitores de *Os Lusíadas*, na sua língua original. E, no entanto, o primeiro está escrito em latim, uma língua a que chamamos morta, e o segundo, num linguagem literária da língua portuguesa que todos nós aqui presentes falamos.

Etiam apud Belgas res valde agitatur. Libentissime omnes commentationes exscriberem quae de hac quaestione inveniuntur scripta in commentariis qui inscribuntur: *Association des Classiques de l'Université de Liège* (V (1957) 70 sq.). Haec Consociatio vehementer reclamat adversus legem propositam *«rendant le Grec facultatif pour l'entrée au Droit et le latin facultatif pour l'entrée dans les Facultés scientifiques, y compris la Médecine»*. En quibus argumentis rem fulciunt illi Socii, quorum nomine A. GRISART loquitur; commentatio inscribitur *memorandum pour les parlamentaires.*

A. *Raison extrinsèque: la démocratisation de l'enseignement:*

«L'accession de nouvelles catégories sociales à l'enseignement secondaire et supérieur» est une réalité incontestable. La solution vraiment démocratique du problème que pose l'afflux de plus en plus grand d'élèves issus de la classe ouvrière dans l'enseignement moyen n'est pas d'abaisser le niveau de cet enseignement: elle est, au contraire, *d'augmenter le nom-*

www.culturaclasica.com

bre et le moment des bourses d'études, pour donner aux enfants économiquement faibles, mais bien doués, la possibilité matérielle d'accéder à la culture la plus forte et la meilleure, celle que donnent les humanités authentiques, c'est-à-dire, gréco-latines. En effet la démocratie, contrairement aux régimes totalitaires, ne peut survivre que si elle s'appuie sur une véritable aristocratie, non celle de la naissance ou de l'argent, mais celle de l'esprit et du coeur. Or, «la démocratie ne consiste pas à fabriquer une culture ou un enseignement assez bons pour le peuple, mais à mener le peuple à la vraie culture», comme l'écrit M. Pierre Boyancé, professeur à la Faculté des Lettres de Paris.

B. *Raisons extrinsèques:*

1. — «*L'importance primordiale de la langue maternelle* dans la formation et le developpement des modes de connaissance». Il y a là un excellent principe. Malheureusement, le projet de loi, au lieu de le mettre en oeuvre, le combat. Les élèves des humanités modernes scientifiques ne sont pas plus forts en français ou en néerlandais que leurs condisciples des humanités anciennes. C'est que le cours de langues anciennes sont, en fait, des cours de langue maternelle... Elle *(la version)* restera donc toujours un exercice sans égal pour acquérir la connaissance approfondie et la maîtrise de la langue maternelle, jusque dans ses nuances les plus subtiles.

2. «*La necessité* pour l'enseignement *secondaire* de renforcer la préparation *mathématique* des élèves qui veulent aborder avec fruit l'étude des sciences *exactes ou expérimentales*». ...La Belgique connaît actuellement une floraison remarquable des sciences...: or, ces chercheurs et savants, tout comme leurs aînés, qui ont créé la science du XX siècle, ont été formés par les humanités anciennes.

De leur côté, les nations les plus modernes et les plus réalistes... se plaignent amèrement du manque de formation générale et humaine de leurs spécialistes et techniciens: aux U. S. A. des savants cybernéticiens, ayant à leur tête Norbert Wiener, mènent campagne pour le retablissement du latin dans l'enseignement secondaire en vue de la formation de leurs élites techniciennes: un président d'université, déplorant l'extraordinaire faiblesse de l'enseignement sécondaire américain, le qualifiait de «nourriture prémastiquée trop pauvre pour éveiller l'esprit même d'un imbécile».

. . . . . .

5. *La dispense du latin pour l'entrée dans les Facultés scientifiques, y compris la Médecine. —Le vocabulaire technique des sciences les plus modernes est essentiellement latin et grec.* D'autre part, il n'est guère opportun de dispenser les élèves de l'étude du latin pour leur ouvrir les Facultés scientifiques au moment même où vient de prendre corps un mouvement issu de ces mêmes milieux scientifiques en faveur de l'adoption du latin comme langue universelle du monde savant...

. . . . . .

C'est la fusion harmonieuse, réalisée seulement dans les humanités classiques, des disciplines littéraires et des disciplines scientifiques ou comme le disait Pascal, de l'esprit de finesse et de géometrie, qui seule peut former complètement un homme, même et surtout à notre époque.

Collegit Jacobus Sidera, C. M. F.

www.culturaclasica.com

BIBLIOGRAPHIA

EDUARD SCHWARTZ — *Zur Geschichte und Literatur der Hellenen und Römer.* «Gesammelte Schriften», Band 2. Walter de Gruyter et Co., Berlin W 35, 1956; pp. X - 356, 22 x 14 cmm.; Ganzleinen D. M. 38'50.

Clarissimi v. Eduardi Schwartz discipuli, magistri, testes et laudatores, post ejus mortem, consilium inierunt praecipua ejusdem edendi scripta, quae posteris essent tanti magistri laus et praeconium.

Nunc prodiit alterum volumen de litteris et doctrina graecorum romanorumque scriptorum. Fere omnia quae eo continentur jam prius prodierant, pars in notissimis commentariis, quibus titulus «Philologus», «Hermes»; pars in aliis commentariis haud ita notis. Praeit, proditque nunc primum, curriculum scientificum vitae *(wissenschaftlicher Lebenslauf)* ab ipso Schwartz scriptum et a. MCMXXXII Vindobonensi Litterarum et Scientiarum Academiae missum, documentum magni quidem momenti et indefessi ingentisque laboris testimonium. Incitamenta et doctrinam, quae ipse a magistris Usaner, Bücheler, Mommsen, Wilamowitz adulescens acceperat, praesertim ad illustranda Novi Testamenti studia vitamque et textus Patrum et Conciliorum primae Ecclesiae accurate attulit. Aliqua hujus rei scripta in tertio corporis volumine recipientur. Hoc altero continentur quaestiones nonnullae, quae ad litteras vel scriptores graecos et latinos pertinent. Memoratu digna est disputatio de conjuratione Catilinae, quae, quamquam non omnia in ea omnibus probari videntur, est tamen singulare auctoris perspicui acuminis mentisque argumentum.

Gratias referre oportet Berolinensi domui Walter de Gruyter ob volumina haec tanta cura edita, quibus scripta clmi. magistri Schwartz magis in dies vulgari et diffundi possunt.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

IVAR LISSNER. — *Die Cäsaren.* Macht und Wand, 72 Seiten Kunstdruckbilder. 10 Karten im Text. Walter Verlag, Olten und Freiburg im Breisgau, 1956; pp. 390, 22 x 14 cmm.

Nova Romanorum Caesarum historia, quae vera eorum imago, virtutes, facinora exprimat, quaeque placitis hodiernorum lectorum respondeat, clarus Lissner in hoc luculento elegantique volumine magna cura et amore proponere contendit. Agit in primis de viris eorumque rebus gestis, qui ante Julii Caesaris instaurationem et principatum praevaluerunt: de Mario et Sulla, de Pompejo et Crasso, de Cicerone, Romae omnium oratorum principe. Disserit postea de Julio Caesare, de Augusto, de Tiberio, de ceteris Caesaribus usque ad Constantinum, primum christianorum imperatorem. Nec tantum imperatorum imagines exprimit et describit; temporum adjuncta discernit atque virorum litteris et humanitate maxime commendatorum merita diligenter effert laudibus. Quae omnia stilo simplici, sed vivo vigentique, tradit auctor; facta ut fictam fabulam proponens, quo fit ut historia avidiori animo legatur. Quod tamen nihil obstat quominus auctor doctis viris sese praebeat antiquarum fontium et hodiernae bibliographiae peritum et apprime versatum. Adde pictas tabulas seu imagines, quibus opus ditatur, plurimas, pulchras, varias; adde typos nitide accurateque excusos, chartam lucidam, volumen apprime ligatum; adde cetera quae in hoc opere splendent plurima et quibus hoc novum opus Caesarum maxime commendatur.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

HANS POESCHEL. — *Die Griechische Sprache.* Geschichte und Einführung. Heimeran Verlag, München, 1954; pp. 376, 17x11 cmm.

En tibi, lector humanissime, liber, quem domus Monacensis Heimeran, toto orbe notissima, iterum ad usum scholarum edidit; liber qui partes munusque agat simul grammaticae

www.culturaclasica.com

historiaeque linguae et litterarum graecarum, quique sit dux ad suscipiendam et ingrediendam rationem graecae humanitatis et cultus.

Hic liber non nisi post multas auctoris aerumnas et difficultates primum editum est anno MCML, biennio post ipsius auctoris occasum; post quattuor tantum annos iterum prodiit cura et studio Rudolphi Boye, in commodum omnium eorum qui lingua graeca initiari cupiunt. Hi omnes in eo invenient exemplorum et doctrinarum copiam, explanationem de re grammatica et de generibus litterarum brevem et nitidam, summam quoque linguae graecae historiam et in fine utilem rerum et verborum indicem.

Speramus fore ut opus hoc brevi iterum iterumque edi necesse sit.

J. Jiménez Delgado, C. M. F.

Otto-Wilhelm von Vacano. — *Die Etrusker.* Werden und geistige Welt. 467 Seiten mit 100 Strichzeichnungen, 144 ganzseitigen Schwarzweiss-Abbildungen und 4 Farbtafeln. Verlag W. Kohlhammer GmbH., Stuttgart. 26x18 cmm. Leinen DM 28'80.

Causa est cur laetentur fautores studiorum etruscorum, quod hoc magnum lucidumque volumen recens editum est; in quo auctor, quoad longissime potuit mens sua respicere spatium praeteritarum rerum gestarum et populi etrusci notitiam recordari ultimam, fere omnia coëgit, quae de origine, de motu et discursu illius populi, de ejusdem moribus et institutis, virtutibus et historia, delubris sanctissimis religionibus consecratis, deque ceteris rebus ad usum communem vel ad artem pertinentibus, quae ad nostram aetatem e tenebris in lucem paulatim revocari coepta sunt.

Opus duplici ratione ordinatur. Continet in primis (1-273) res et doctrinam, quae ad scientiam etrusci populi pertinent, cum notulis et imagunculis quae rem illustrant. In altera parte tabulas CXLIV photopictas invenies et brevem uniuscujusque declarationem. Demum absolvitur opus speciali librorum serie, quibus auctor usus est, quique commodo lectoribus esse poterunt.

Est igitur opus hoc, quod commendamus, magni momenti magnaeque utilitatis, non tantum iis qui sunt in scientia etruscorum periti, sed iis etiam qui huic disciplinae initiari cupiunt, iisque omnibus qui litteras humanitatemque studio et amore colunt.

J. Jiménez Delgado, C. M. F.

Hermann Weller. — *Carmina Latina.* Secunda editio aucta. Tubingae. Sumptus fecit H. Laupp jr, MCMLVI.

Habes in hoc pulchro libro, a claro viro Hermanno Weller exarato, carmina ab anno 1918 usque ad annum 1946 ex Legato Hoeufftiano praemiis aut magna laude ornata atque edita, quibus adicitur carmen, quod inscribitur «Hospes Tarentinus».

Haec autem ipse auctor de libri dispositione: «Carmina omnia digessimus in genera tria, quorum *Agonica* quid sint facile intellegas; nam plurima pars eorum in Batavia certaverunt, duo e Locrensi certamine poëtico redierunt: alterum, prima editione notum, c. t. Hospes Tarentinus, alterum anno 1928 laudatum, c. t. Certamen Pastorum. Omnia agonica servato temporis ordine collocavimus; quem, argumenta respicientes, negleximus in digerendis iis, quae *Varia* et *Versa* (scilicet ex Germano) appellavi. Ceterum tempora, si requiras, certiorem te faciet index». Stellula notantur in opere carmina, quae praemio aureo sunt ornata. Est sane cur hujus clarissimi poëtae carmina laudemus eumque viris litteratis quasi specimen proponamus et studii in linguam latinam et constantiae in carminibus pangendis. Nondum linguam latinam neque ejusdem cultores et poëtas morte esse exstinctos hisce carminibus liquido patet: haec est enim eadem lingua qua et scriptores et poëtae romani usi sunt.

A. Marqués, C. M. F.

E. Valgiglio. — *Plutarco, Vita di Mario.* «La Nuova Italia», Firenze, 1956.

Septimus et quadragesimus est tomus hic bibliothecae «*I Classici della Nuova Italia*», cui dignissime clarus vir C. Gallavotti moderandae preest. Qui latiore introductione, textu, commentario vitae Marii a scriptore Plutarcho conscriptae, in vulgus editis ab Ernesto

www.culturaclasica.com

autem Valgiglio, professore litterarum classicarum maximo, constituitur. Introductio a pagella V ad XXVIII usque protrahitur, ubi auctor Plutarchus ut biographus verborumque artifex in sermone consideratur acumine mentis maximo. Etenim biographus potius quam historicus Plutarchus est habendus. Et fontes a conscriptore perpenduntur et non nulla aliorum etiam operum Plutarchi scite perstringuntur. Cajus Ma ius cum homo militaris tum politicus perhibetur. Tota absolvitur introductio tabella chronologica, ab anno 156 ad 86 usque.

Jam vero Plutarchi textus consequitur, qui ut plurimum est textus Plutarchi in Vitis parallelis, quem recognoverunt Lindskog et K. Ziegler, Lipsiae, Teubner, 1915 Aliquae tamen additiones in eo colliguntur clarissimorum virorum Th. Doehner, C. Sintesis, B. Perrin. Paragraphorum autem enumeratio eadem est atque editionis a professore Doehner exaratae.

Textûs denique commentarius et amplus et eruditionis plenus: sunt 219 pagellae, re densae, fere unius commentarii. Textus quarta fere pars est totius voluminis. Nominum propriorum index aptissimus exstat (pp. 221-223). Belle hoc libro bibliotheca illa «I Classici della Nuova Italia» accrescit.

A. Marqués, C. M. F.

Bruno Migliorini — *Saggi Linguistici*. Felice Le Monnier, Firenze, 1957.

Officii causa et observantiae hoc litterarium opus viro sapienti Bruno Migliorini dicatur, qui sexagesimum aetatis annum felici quidem omine attigit. Quanquam in studiorum labore recessus aetas adhuc longinqua, Deo favente, est. Ex eo certe desideratur opus praecipuum: Historia Linguae Italicae.

Jam vero non nulli collegae atque alumni magistrum colere modo sollemni voluere, una cum Domo Le Monnier. Voluminis hujus introductio subsignatur a clarissimis viris H. Henrico Paoli, Francisco Rodolico, Folena (pp. V-VI). Tabella consequitur gratulatoria praepositis nominibus collegarum, Bibliothecarum, Lyceorum, Institutorum, Universitatum atque officinarum librariarum (pp. VII-X). Tum bibliographia completa Professoris B. Migliorini, a Professore Folena exarata, ab anno 1916 ad 1956 usque (pp. XI-XXVII).

Constituit vero tanquam operis corpus varia series, eaque opportuna atque utilis, et lucubrationes de philologia quae 330 densas et scitas pagellas explent. Index cum verborum tum rerum usum voluminis faciliorem reddit (pp. 333-339). En tibi, speciminis ergo, non nulla libri argumenta: «Discontinuità linguistica e prestito morfologico; Calco e irradiazione sinonimica; La metafora reciproca; I nomi maschili in *-a;* I nomi del tipo *bracciante;* A proposito dei nomi in *—trice;* Coppie avverbali con un solo *—mente;* Un virgilianismo sintattico: *fremere* transitivo; Sulla lingua dell'Ariosto; Primi lineamenti di una nuova disciplina: la linguistica applicata o glottotecnica», cet.

P. Philoponus, C. M. F.

Paul Cloché. — *Un Fondateur d'Empire: Philippe II Roi de Macédoine*. (38 ½ [2-336] 5). Editions Dumas, rue Georges-Dupré, Saint-Etienne.

Multa sunt opera, eaque magni momenti, quae praeclarus vir P. Cloché, in Universitate vesontiensi honorarius Professor, in vulgus edidit de historia populi Graeci: de re tanquam bibliotheca volumina ab egregio Professore exarata. Quibus et hunc novum librum addidit de vita et opere magni regis Macedoniae Philippi II.

Post brevem introductionem, in qua de proposito et via rationeque voluminis disseritur (pp. 7-9), novem consequuntur capita quae apte rem totam contrahunt, quaeque libenter ab scientiarum historicarum cultore legentur. I. Philippus II: ejusdem institutio, character, animi qualitates, actionis viae atque proposita (pp. 11-45). II. Liberatio Macedoniae et primae expugnationes (pp. 46-79). III. Expeditiones Philippi in Graecia et in Thracia (pp. 80-114). IV. Expugnatio Chalcidicensis (pp. 115-139). V Rationes Philippi cum Graecia et Thracia ab aestate anni 348 ad autumnum anni 346 usque (pp. 140-175). VI. Philippus et Graecia ab autumno anni 346 ad autumnum anni 344 usque (pp. 176-193). VII. Rationes Philippi cum Graecia, Persia et Thracia

www.culturaclasica.com

ab initio anni 343 ad aestatem anni 347 (pp. 194-233). VIII. Philippus, Persia Graecique ab aestate anni 41 ad autumnum anni 340 usque (pp. 234 250.) IX. Quattuor ultimi anni regni regis Philippi (pp. 251-282) Opus absolvitur erudita conclusione tanquam itineris acti conspectu (pp. 183-292). Tabula geographica Graeciae, maris Aegaei et Asiae minoris occidentalis opportunius in fine libri adhibetur.

P. Philoponus, C. M. F.

J. Modrzejewski. — *Polish Papyrology in the years 1945 1955.* Polish Academy of Sciences. Warsaw, 1955.

Libellus hic, quinquaginta admodum pagellarum, editus est in Polonia; propositum vero scriptoris est praecipua promere de laboribus in scientia Papyrologica, quae Institutum Papyrologicum civitatis Varsaviae adhuc est molitum. Recens est scientia Papyrorum in provincia novorum studiorum; sapientes vero poloni plurimum in ea laborarunt, cum sit quasi historiae fons atque mater. Hoc in libro compendio ea recoluntur a clarissimo professore J. Modrzejewski, quae ab anno 1945 —anno liberationis Poloniae— ad annum 1955 usque acta sunt a Facultate Papyrologica in Universitate Varsaviae.

R. G. Austin. — M. *A. Some English translations of Virgil.* Liverpool University Press, 1956.

De thesi auspicali cursus agitur, lecta a professore Latinitatis R. F. Austin in Universitate «Liverpolensi». Quod ipsa inscriptio detegit, de non nullis disserit in Anglia conversionibus latinis operis litterarii Vergiliani factis. Lepida «monographia», ut dicitur, ubi facile innotescit magna aestimatio apud Anglos litterarum latinarum.

C. E. Mesa, C. M. F. — *Ensayos y Semblanzas.* Biblioteca de Autores Contemporáneos. Impreso en la Editorial Santafé. Bogotá, 1956.

Anthologica diceres hoc volumen, ubi quindecim admodum lucubrationes de re litteraria a claro scriptore Columbiano C. E. Mesa, collectae in lectoris usum et solacium sunt. In praefatione, a P. Angelo Martín Sarmiento exarata, tota fere series operis litterarii Patris E. Mesae apte perstringitur (pp. VII-LVII). Atque trecentis pagellis sermonis nitidi et lepidi totus liber uno tenore percurrendus proponitur. Ibi de quaestionibus litterarum Hispanicarum et Latinarum, de bibliographia, de historia, et vel de rusticatione. In primis agitur de lingua Latina in Hispania atque in Columbia. Praestant monographiae de «*Ideario Hispánico*» Michaëlis Antonii Caro; de Rufino Josepho Cuervo qui fuit vir sapiens, scriptor, christianus; de Marco Fidele Suárez, qui fuit vir administrandae rei publicae peritus scriptor, christianus. Facile etiam commendantur quae de poësi Michaëlis Costa y Llobera in opere Mesiano prostant. Lectio paucis et abundans et varia de humanioribus litteris curioso lectori hic delibanda, neque immerito, proponitur a P. Mesa, qui cum solo sit Columbianus, est corde tamen Hispanus.

Ildephonsus González, C. M. F.

W. Hertzberg. — *Publius Ovidius Naso Liebeskunst.* Lateinisch und Deutsch. Bei Ernst Heimeran, Muenchen, 1954.

En tibi Ovidii opusculum: «Artis amatoriae libri tres». Hinc Latinus textus, inde translatio Germanica a claro viro W. Hertzberg exarata, sed denuo perpolita atque edita a professore Franz Burger. Tres Ovidiani libri ea conversione Germanica commode explicantur facilioresque redduntur intellectu (pp. 98 bis).

Tres libro sunt appendices —duas et viginti pagellas complectentes— quibus luculentiores grammatices, historiae, artis metricae, mythologiae, geographiae antiquae notitiae «Latinitatis magistris» a praeclaro scriptore traduntur. —Qui tamen liber cautissime est legendus.

A. Marqués, C. M. F.

F. Speranza. — *Neologismi nelle «Selve» di Publio Papinio Stazio.* Estratto dagli «Atti» dell'Accademia Pontaniana, Nuova serie · Volume VI. Napoli, 1956.

Breviuscula lucubratio viginti admodum pagellarum, in qua neologismi in «Silvis»

www.culturaclasica.com

Statianis, a claro viro Feliciano Speranza, latinarum litterarum Professore, sedulo colligun tur. Opus hoc certe «analyticum» quod dicitur. Ex auctoris sententia, quae argumentis quidem camprobatur, 120 neologismi exstant in Silvis Statianis, 31 nimirum substantiva, 52 adjectiva, 1 adverbium, 36 verba. Ex 31 substantivis, 16 sunt fontis graeci et 15 latini; ex 52 vero adjectivis, 22 sunt originis graecae et 30 latinae. Jam vero quae «ἅπαξ» nuncupantur, numero 30 sunt: 4 substantiva, 19 adjectiva, 7 verba.

Minutatim, uti vides, res a claro Professore perducitur. Ex ea autem novatione adeo in lexico copiosa, haec conclusio in opusculi fine adhibetur: Statius novus fuit poëta eminenti modo, et intima ejusdem poëseos ratione, et variis linguae qualitatibus et dicendi modis.

HJALMAR FRISK. — *Griechisches Etymologisches Woerterbuch*. Lieferung 5. Heidelberg, 1957. Carl Winter - Universitaetsverlag.

Maxima quidem diligentia hoc opus inceptum persequitur, quod quinto jam excuditur fasciculo, a pagina 385 ad 480 usque. Vocabula ibi, quae a voce διακόσιοι ad ἐλαίαγνος consequuntur, a praeclaro lexicographo graeco H. Frisk recensentur. Eadem prorsus ratione et via eodemque ingenii acumine in veris linguae graecae etymis dilucidandis. Valde quidem a cultoribus litterarum graecarum lexicon hoc aestimandum, quod nulla in bibliotheca desiderari oportet. Tanquam enim summa est rei plenissime tractatae.

A. MARQUÉS, C. M. F.

K MUELLER - Q. CURTIUS RUFUS. — *Geschichte Alexanders Grossen*. Lateinisch und Deutsch. Neugestalteter Text von K. MUELLER, mit neuer Uebertragung von H. SCHOENFELD. Duennbruck Tusculum Ausgabe. 860 Seiten. Bei Heimeran in Muenchen.

Continetur hoc solido volumine textus Latinus librorum III ad X historiae Alexandri Magni, a praeclaro scriptore Q. C. Rufo exaratae, una cum translatione in linguam Germanicam cura et studio clari viri H. Shoenfeld. Textus autem Latinus dispositus atque editus est a professore K. Mueller. Textus Latinus et Germanica conversio complent 733 voluminis paginas. Inde conspectus notarum atque adnotatio critica (pp. 734-754). Subsequitur tractatio magni quidem momenti ingeniique de clausula Curtiana (pp. 755-782). Deinde agitur de textus manuscriptis (pp. 783-797); de editionibus (pp. 798-802); de judicio historiae Alexandri Magni regis Macedonum (pp. 802-820); de bibliographia (pp. 821-822); de explicationibus in unumquemque historiae librum (pp. 822-844); de historiae cursu (pp. 845-849); de nomenclaturae indice (pp. 850-860). Maxime iis liber commendandus, qui de textu Q. Curtii R. penitam notitiam habere exoptant.

H. FAERBER. — *Cornelius Nepos. Kurzbiographien und Fragmente*. Lateinisch und deutsch. Ernst Heimeran Verlag, Muenchen.

Inscriptio libri hujus, non ignobilis, in litteris Latinis est: «Cornelii Nepotis Liber de excellentibus ducibus exterarum gentium». Translatio Germanica exarata est a praeclaro Professore H. Faerber. In opere vitae XXIV virorum illustrium Latino sermone nitido describuntur iique sunt «Miltiades, Themistocles, Aristides, Pausanias, Cimon, Lysander, Alcibiades, Thrasybulus, Conon, Dion, Iphicrates, Chabrias, Timotheus, Datames, Epaminondas, Pelopidas, Agesilaus, Eumenes, Phocion, Timoleon, de Regibus, Hamilcar, Hannibal».

Consequitur vero «Ex libro Cornelii Nepotis de Latinis Historicis»: Cato, Atticus, atque «Deperditorum librorum reliquiae»: Chronica, Exempla, Vita Catonis, Vita Ciceronis, Epistolae, de Viris Illustribus, Carmina, Incerta. Totum scilicet nobis cognitum opus Cornelio Nepoti adscriptum hic offertur legendum.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

J. ANGRISANI, Obispo de Casale. — *In matutinis meditabor in te*. Meditaciones para Sacerdotes sobre las lecciones escriturísticas del Breviario. Versión española por el Rdo. Dr. ELISEO COTS, Pbro. Vol. I - Pars Hiemalis, 1957. Vol. II - Pars Verna, 1957. Vol. III - Pars Aestiva, 1957. Editorial Eugenio Subirana, Barcelona.

www.culturaclasica.com

Officina libraria Pontificia E. Subirana aggressa est pervulgare inter sacerdotes interpretationem Hispanicam librorum quos Exc. mus Dnus. Angrisani, Episcopus Casaliensis, primum edidit anno 1946.

In matutinis meditabor in te est liber meditationum quae e lectionibus biblicis Officii Divini in singulos dies sacerdotibus proponuntur. Quod opus, difficile quidem factu, magna vi et assiduo labore auctor optime perfecit, orationis perspicuitatem cum gravitate judiciorum et sententiarum componens. Et ut verbis, quae Rdmus. Dnus. Montini, anno 194 auctori nomine Summi Pontificis scripsit, utar: «laboris novitas et modus quo Verbum Dei verbis hominum accuratissimis explicat, sunt et honori auctori et lucro sacerdotibus qui eis bene utantur».

Meditationes omnes, ut Officium Divinum, in quattuor volumina distribuuntur, quorum tria priora lingua Hispanica in lucem nuper edita sunt.

Volumina, charta et typis optimis excusa, Parti Hiemali, Parti Vernae, Partique Aestivae Officii Divini respondent.

Interpretatio Hispanica ex tertia editione Italica est Doctoris Elisei Cots, Sacerdotis, cui maximae laudes sunt tribuendae.

Nos vero et auctori et interpreti et Officinae Librariae SUBIRANA laborem susceptum sincero animo gratulamur et his voluminibus faustum felicemque exitum ominamur, dum quartum volumen exspectamus.

JACOBUS GARCÍA, C. M. F.

J. ANGRISANI. — *Homiliario Dogmático. Los dogmas a la luz del Evangelio*, publicado bajo la dirección de Mons. Cipriano Montserrat. Pag. 208. Editorial E. Subirana, Barcelona.

Hic liber quo augescit «Biblioteca del Orador Sagrado», sacris constat homiliis nuper in Italia ab Excmo v. Josepho Angrisani, Episcopo Casalensi evulgatis, qui et opus «In Matitinis meditabor in te» —de quo supra— quattuor voluminibus in lucem edidit.

Homiliae Excmi. Antistitis Angrisani breves sunt, sed pulchre exaratae in eisque magis de dogmatis christianis agit auctor quam, ut fieri solet, de iis quae ad mores pertinent, quod praecipuum est in libro et, ut mihi videtur, valde utile ut fideles vera religione imbuantur.

In sermonem hispanicum convertit clarus doctor Cyprianus Montserrat.

JESUS ASPA, C. M F.

M. GURRÍA · A. MATEO. — *Lengua Latina*. Librería Salesiana. Paseo S. Juan Bosco, 74. Barcelona, 1956.

Tribus voluminibus constat haec linguae latinae grammatica a claro viro Mariano Gurría olim exarata, nunc vero ab A. Mateo perpolita et denuo edita, approbante Administro a publica Institutione (B. O. M. E. N. 26 m. majo a. 1955).

Volumen primum, vel pars prima, ea omnia grammatices elementa continet, eaque via ac ratione prorsus scholari, qua in usu scholarum primae Latinitatis sunt: vocabula separato modo alumnorum studio subduntur, cum declinatione, conjugatione, praecipuaque partium grammaticalium nomenclatura. In triplici appendice quaedam brevissimae syntaxis notiones, propositiones separatae, propositionum conjunctiones, regulae ad analysim et conversionem, declinationes nominum Graecorum-Latinorum recensentur.

Huic vero volumini secundum respondet quod totum de exercitatione seu praxi linguae est, cui inscriptio: *Práctica de las Reglas Elementales de la Gramática Latina, seguida de un breve vocabulario Latino-Español y Español-Latino*. Libri tenor omnino partem «theoricam» consequitur, quo alumnus quasi manu ducitur in Latina lingua ab ovo addiscenda.

Tertio volumini ea insunt elementa, quae ad Syntaxim, Prosodiam et Metricam Latinam referuntur. Post doctrinae seu theoriae expositionem, exercitationes consequuntur, quibus alumnus in compositione et conversione Latina commode et scite instituatur. Latinitatis alumnis hoc opus certe commendandum, quod undecima libri editio maxime commendat.

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

www.culturaclasica.com

PALAESTRA adulescentium

SCHOLARES LINGUAE LATINAE COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Pretium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA

Pretium in Hispania et America: 15 pesetarum — Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. III – (FASC. VII) – N. 12 — M. DECEMBRI — A. MCMLVII

Libri amici!
Nulla dies sine linea.
Bene dicit qui
prudenter intellegit.
Sapientia prima
stultitia caruisse
(Hor. *Ep.* 1, 1, 41).

AULUS SCHOLAM CONVENIT

Sempronius magister scholam intrat, et dicit: «Salvete, pueri»!

Omnes discipuli assurgunt et more Romano illum salutant: «Et tu, optime magister, salve»!

Schola incohatur, alumni in scamnis sedent, magister vero in cathedra vel in sella.

—Quis stat ad magistrum?

—Aulus, Tiberii Flavii filius.

—Quid legit?

—In volumine, quod manibus tenet, Vergilium poëtam legit, Trojae excidium enarrantem.

—Quid aliud in schola pueri faciunt?

—Memoriter Ciceronis orationem in Catilinam pronuntiant, aut ex Graeco Xenophontem et Homerum in Latinum convertunt, aut addendo et deducendo computant —cui rei saepe abaco utuntur—, aliasque mathematicorum rationes efficiunt.

—Quis ad parietem stat?

—Tiberius, quem magister punlit, quia cum Aulo rixatus est, quem et cucurbitam et simiolum appellavit, alios quoque calce petit, in faciem inspuit sannamque facit.

—Ubi reconduntur libri?

—Volumina et codices in armario reconduntur, ex quo magister, quae ad dictandum et legendum opus sunt, sumit.

—Quid aliud Sempronius magister in schola facit?

—Dictat.

Quid vero pueri?

—In tabulis ceratis seu pugillaribus scribunt; si magistrum male intellexerunt aut litteras permutarunt, stilum vertunt et scriptum emendant.

www.culturaclasica.com

Cives, en prunus omnium vestrum!

Incolae cujusdam pagi cum in praerupto loco omni ex parte directo et a reliquo terrarum orbe secluso vitam degerent, consilium inierunt ut omnium ditissimus, cui vulgo nomen «bonus Paulus» erat, ad urbem pergeret, scholas humanorum hominum frequentandi causa. Qui cum per annum in urbe commoratus esset, popularibus adventum renuntiavit. Beatissimus fuit ille dies! Senis domus quasi apiarium diceres!

Sub vesperum «bonus Paulus» vici capita arcessivit ut, quaecumque didicisset, enarraret. «Ecce, subridens, inquit, vidi longas chartas —acta diurna appellant— quas omnes diligenter legunt, quanquam callidis mendaciis refertas esse sciunt, quibus ostendunt nos ad summam humanitatem omnino non conscensuros nisi omnia omnium sint; possessio enim unius civis, civibus reliquis est furtum. Itaque, ne praeter ignobiles, nos pagani fures appellemur, statuamus ut omnia bona communia omnibus sint. —Quid vobis videtur?».

In schola sociologiae

Magister interrogat discipulum qui alias res agit:

—Quidnam mihi de «familia» dicis, optime Osvalde?

—Abhinc duos menses litteras non accepi.

Qui nihil proprium habebant nisi subuculam pannosam, conclamabant: Ita, sane!, optime! Reliqui autem: Non ita!, minime!

Haec cum audisset, «bonus Paulus» conivit, et «omnia —inquit— ad justam normam sunt dirigenda. Rem paulatim tentabimus prius quam perficiemus». —Recte!, probe!, clamaverunt pagani. «Et ut melius hanc tentemus rem dono vicanos pruno quam in vineto prope domum habeo. Deinceps omnes existiment hanc prunum esse suam, cui nomen erit *novissimae humanitatis prunus*». —Io!, evax! evohe!...

Haec hieme fiunt. Paullo post fodienda erat prunus. Quis fodiet prunum? —«Mea non refert», dixit quispiam. —Quid mihi?, respondit alius. —Egomet..., dixit quis alius, qua re mihi istud onus imponam? viderint alii!

Neque pruni quis curam gesisset nisi duae vetulae, quae lignis omnino carebant, illam diligentissime effodiendam curassent.

www.culturaclasica.com

Ineunte vere, etsi arbor exiles flosculos emisit, tamen natura provida fuit et prunus pinguissimis prunis onusta fuit. Tunc quisque pruna sua esse dixit omnesque citissime ea arripere conabantur ut pruna maturare non possent. Haec cum vidissent quidam rustici temperantiores, vici magistrum adierunt ut juberet ne quis pruna arriperet nisi diebus festis.

—«Quid hoc valet?» rerum novarum studiosi dixerunt. «Quo jure vici magister nobis interdicit ne, quod nostrum est, edamus cum nobis placeat? Quis aegre ferat nos edere pruna «nostra?».

Et incolae turbulentissimi diluculo ad prunum accesserunt. Haec cum alii vidissent: —«Deorsum universi!», conclamarunt, ad arborem venientes. «Nolumus!», qui in pruno famem explebant, dixerunt. —«Arbor est nostra!», «Et nostra!», qui infra erant, responderunt, dum superiores lapidabant. Qui ira correpti, cum descendissent, impetum adversus inferiores fecerunt eosque fustibus verberarunt. Nefastum infortunatumque diem!...

Postridie, «bonus Paulus» primoris nasi acumen per fenestram expromere voluit; quam, ne lapidibus ipse obrueretur, statim clausit. «Insanus homo! Utinam scholas humanorum hominum ne frequentavisses! Mihi enim bracchium non esset fractum». —«Nec mihi caput perfractum!...».

—«Filioli mei!, inquit «bonus Paulus» e semiaperta fenestra prospiciens et facie humanissima subridens: «Numquid ego sum in culpa? Nonne vos illum humanum cultum agitare et experiri voluistis? Rem experimento et usu tentavimus; semel sufficit! Vos ipsi sententiam nunc dicite!...».

GEORGIUS MARIMON, C. M. F.
Secundi Philosophiae Cursus alumnus



—Videamus, Aloisi; si dico: Ego lavor, tu lavaris, ille lavatur...». De quo tempore agitur?

—De tempore aestivo.

Celsonae

www.culturaclasica.com

ABACUS VENEFICUS



4, 22, 16, 20, 23, 2, 17 Clamavit
31, 15, 28, 9, 11 Integritas
21, 18, 26, 24, 6, 3, 27 Recitanti
1, 7, 25, 14, 30, 19 Fortis
12, 5, 8, 29, 13, 10 Immo

Celsonae J. A. COSTA

MISCENTES UTILE DULCI

Quemdam rogantem ut propositis obsequeretur, sic quaedam Lacaena est allocuta: «A puella patri meo oboedire didici; postquam nupsi, oboedivi conjugi: itaque, si quis a me aliquid justi desiderat, ab eo primum postulet.

JOANNES CANALS, C. M. F.

Advena quidam, cum vidisset quomodo Lacedaemonii adulescentes honorarent senes, dixit: «Lacedaemoniis tantum bonum est senescere».

JOSEPHUS M.ª CAMARERO

CAPILLI SENIORES BARBA

Cum Henricus IV rex interrogaretur cur capillos haberet canos, barbam vero nigram, dicitur respondisse:

—Quia capilli *viginti* habent *annos plus* quam barba...

C. INGA c. m. p. (e V° c.)

Rosarii, in Argentina

INTAPHERNES

Intaphernes, unus ex illis septem Thebanis, coram Dario, inconsulto adire voluit. Custodes regem esse cum uxore dixerunt.

Intaphernes eos mentiri cogitavit et gladio destricto nares atque auriculas amputavit. Postea equi habenis eos ligavit et ante regiam penderi jussit.

Darius injuriam sententia Septem factam esse suspicatus est.

Cognovit vero ceteris Intaphernis nefas minime placuisse. Tunc, more orientalium, Intaphernem cum filiis et cognatis prehendi jussit, et in vincula ut interfecerentur, conjecit. Nam omnes cognati eadem poena, qua reus afficiebantur.

Ante portam Intaphernis uxor plorabat; misericordia motus Darius quemlibet ex damnatis eam eligere voluit. Illa fratrem elegit. Tunc rex: «Cur in vincula conjugem filiosque relinquis?». —«Quia nec patrem nec matrem habeo et ideo alterum fratrem habere nequeo; conjugem tamen et filios adhuc habere possum».

JOSEPHUS SARDA

Miles:... Suovetaurilia...

Soni repercusio:... Suov... quid?

ALOISIUS LLAURADOR

E Sem. Min. Barcinonensi.

www.culturaclasica.com

ANIMO ESTO GRATO

Alexander, Macĕdo ille imperator, servum habebat cui nomen erat Harmolao.

Quodam die, cum, servo comitante, venatum esset profectus, immanem in se leonem conspexit advenientem.

Quem servus cum vidisset toto animi ardore telo confodit.

Tunc vero, Alexandri regis ingratum cerneres animum cum Harmolaum, qui sibi in re praeisset, verberari jubēret.

G. MARIMÓN

Celsonae

PECTEN



a) panis
b) populo
c) homini
d) quidam rex
e) mirabili

DIOGENES

Diogenes, videns puerum aquam manu potantem, poculum abjecit, et item catinum, cum puerum in panis crusta lentes manducare vidit.

—

Eginensis quidam filium misit Athenas ad Diogenem, qui tanto ardore puerum incendit ut fratri minori ac denique patri, ad audiendum philosophum persuaderet.

Per aspera ad astra!	Festina lente!
Res est sacra miser!	Praesis ut prossis!
Bis dat, qui cito dat!	Coepta perfice!

Megarensis quidam nullum esse motum probabat; tum Diogenes surgens, currere coepit.

—

Cum Plato dixisset: animal implume, bipes hominem esse, Diogenes gallum plumis nudavit et dixit: «En hominem Platonis».

—

Quodam die Plato amicos invitavit; Diogenes ad aulam venit et lutulentis pedibus per pulchra peripetasmata decurrit: «Vanitatem, inquit, Platonis proculco».

J. A. MARTÍNEZ

Celsonae

Alumni Seminarii Minoris in civitate Almeria, in Hispania, litterarum Latinarum studiosi, optant ad alios Seminariorum alumnos, sive in Hispania sive in aliis nationibus commorantes, litteras lingua Latina scriptas mittere ab iisque accipere seu cum illis litterarum commercium inire. Undecim sunt alumni. —Epistulae ita inscribantur:

Sr. Andrés Vildres Ruiz
Seminario Menor
ALMERIA (España)

www.culturaclasica.com

ROMULUS URBIS ET

1. — Primus Urbis et Imperii conditor Romulus fuit, Marte natus et Rhea Silvia.

Amulius Rex illum cum Remo fratre in flumen mitti jussit.

Sed qui pueros ferebant, non in profluentem aquam, sed in stagnum quoddam lene abjecerunt.

2. — Lupa sitiens, cum puerorum vagitus audisset, relictis catulis ad pueros cursum flexit eisque mitis ubera praebuit.

3. — Regii gregis pastor pueros repertos in casam tulit atque Larentiae uxori educandos dedit.

4. — Cum adolevissent, urbem condere voluerunt.

Quodam die deus significavit uter urbem regeret. Nam Remus, cum in monte Aventino esset, vidit prius sex vultures; sed paulo post Romulus in Palatino duodecim vidit.

www.culturaclasica.com

IM PERII CONDITOR

5. — Remus irridebat urbis moenium angustias; et ludibrio fratris, novos transiluit muros. At Romulus eum interfecit: «Sic deinde, inquit, quicumque alius transiliet moenia mea».

6. — Condita civitate, quam ex nomine suo Romam vocavit, cum uxores ipse et populus non haberent, invitavit ad spectaculum ludorum vicinas urbis Romae nationes, atque earum virgines rapuit.

7. — Haec statim fuit causa belli cum Sabinis. Cum hostes urbem intrarent et atrox in ipso foro esset pugna, Romulus Jovem oravit: «Foedam meorum fugam sistel». Cumque a Jove esset auditus, Ei templum aedificavit et «Statorem» appellavit.

8. — Quondam, cum ad exercitum recensendum contionem in Campo ad Caprae paludem haberet, subito, coorta tempestate, a conspectu omnium ablatus est, creditusque ad deos transisse.



www.culturaclasica.com

EPISTULAE DANTUR INTER ALUMNOS

Alumni Barbastrenses IV Latinitatis annum peragentes carissimis fratribus, in Anglia commorantibus s. d. p.

Certiores vos facere volumus quomodo dies natales Pueri Jesu Infantis egerimus.

Ante diem nonum Kalendas Januarias, nocte hora duodecima divino triplici Sacrificio interfuimus, quo peracto, nos contulimus ad venerandum nuper Natum in spelunca jacentem quam magna sedulitate socii in sacello paraverant. Postero die, oriente sole, aliqui laetis vocibus, tympanis crepitaculisque pulsantes, nos placide dormientes excitarunt, cantum matutinum, qui «aurora» apud Hispanos dicitur, canentes. Omnes, hoc quasi calcāri permoti, ad Puerum Jesum in cunis jacentem et dulciter ridentem osculo salutandum celeriter advolavimus. Totum mane musica, grammophonicis discis expressa, maxime oblectati sumus.

Postridie Nonas Januarias copiosa multarum rerum sortitio habita est.

Divinus Infans benedictionibus vos prosequatur, oramus, dum vobis ex animo dicimus: valete, carissimi fratres.

MICHAEL BELTRÁN - MARTINUS AZTARAIN

Scribebamus Barbastro, IV Id. Febr. a. MCMLVII.



Quo modo Mariabellae huc advenienti metum inferemus?



Pro sancte Deus! Miram rem! ecquid hoc vult? J. BERUETE

INTER MUSCAS

—Filia mea nobilissima est.

—Quare?

—Quia cottidie in regio lactis poculo lavatur. J. A. COSTA

—

—Pater, quid est patrum memoria *(tradición)*?

—Quod a parentibus filiis traditur.

—Nunc scio quid responsurus sim magistro crastĭno die.

—Quid?

—Patrum memoriam esse brăcas avi mei...

—

—Misereor tui, quia «grippicam» contagionem *(gripe)* contraxisti dum magister eodem morbo laborabat.

ANTONIUS FRANCO
in Seminario Barbastrensi quarti C. alumnus

www.culturaclasica.com

Anglicae Postulantes Catalaunicae Provinciae fratribus S. P. D.

...De actis atque agendis in nostro Collegio pauca dicere incipiamus. Nos, quibus ultima apud maritimum Altum Saxum erit haec aestas, mari et litore arenoso fruimur, nam etsi vulgo saepe dicitur Anglica in insula magna vis imbrium effundi, tamen, si vos hic essetis forsitan non tantum solem videretis sed et vim caloris non facile pateremini. Etiam nunc nova aestate anglica prata siccitate laborant, etsi vobis mirabile creditu videatur.

Studia hujus curriculi proxima hebdomada conficiemus. Magno cum tremore pericula exspectamus. Vos pro nobis Deum precamini. Aestate exacta in novum Collegium proficiscemur apud locum Buckden Towers nomine. Vobis patet nobis amplissima in hac insula peragenda esse cum tot orbis gentes nostra lingua sermoneque utantur atque ejusdem generis ac familiae quodammodo sint. Minime dubitamus quin quidam ex nobis, sicut ceteri Claretiani, cum nos idoneos existiment Superiores, per terrarum orbem mittendi simus.

Salvete atque valete, fratres carissimi semel atque iterum.

Scribebam die quarto mensis Julii anni MCMLVII apud Altum Saxum, omniumque nomine LERRI LEATHAN

SENTENTIAS CREBRO REGUSTA

I. — . . . . . vir magnus exire (SEN.)
— . . . . . fortuna juvat (VERG.)
— . . . . . divina potentia rebus (OVID)
— . . . . . omnis cena jucunda est (SEN.)
— . . . . . modus in rebus (HORAT.)
— . . . . . maximum imperium est (SEN.)
— . . . . . delectant, me mea (CIC.)
— . . . . . portus erat et refugium Senatus (Cic.)
— . . . . . in arduis servare mentem (HORAT.)

II. — . . . . . breve et efficax per exempla (SEN.)
— . . . . . subiguntque in cote secures (VERG.)
— . . . . . nos et mutamur cum illis (HORAT.)
— . . . . . animus habitat (PLIN.)
— . . . . . praesidia regni sunt, verum amici (SALL.)
— . . . . . totum erit omne vestigium (SEN.)

Si primi et alterius ordinis sententias *initio* recte compleveris, ex *prima* cujusque sententiae littera nomen Commentariorum efficies legesque qui te linguam Latinam nunc docent. —Si rem tetigeris, librum dono accipies.

J. CARALT

www.culturaclasica.com

Carmen laudatorium

PALAESTRA salve, sole micantior,
Auras perennis aethereas feri
Alto volatu, quo resurgis
Siderea redimita laude.

Frontem coronas alite regia,
PALAESTRA clara, percutiens leves
Pennas quatis ventos simulque
Spem Latio solidam reportas.

Aurora tamquam praevia, lumine
Terras refulgens spargis et inclita
Undas; polorum axis susurrum
Denique percipiet Latinum.

Tua sub umbra ludere regulas
Discendo tiro gestit et utile
Miscere dulci, scire cuncta,
Carmine magna brevi canendo

Vitam sub alta lege scientiae
Agit juventus corpore nobilis
Et mente, supremum sequentes
Consilium Juvenalis usu.

Quam dulce verbum sensibus insonat
Tuum, levamen dulcius auribus
Sermone defers corda tangens,
Unica vivere destinata.

Tu verba vertens patria versibus
Ad astra mentis intima sublevas
Forsan Latinis, queis juventus
Tristia conciliat jocosis.

Per Te vigebit romuleum genus
Quondam supremus, tristifico manens
Statu, triumphator terrarum,
Imperio potiore saeclis.

Per Te resurgit clarus Horatius,
Orbi renidet Vergilius pius,
Oblivione ambo carentes,
Quos colimus juvenili amore.

PALAESTRA felix, cantica dicere
Tibi camena dulcia barbaro
Tenore gaudet sat libenter:
Tu cibus es sapidus juventae.

Te plaudit omnis, Te celebrat terra,
Quicumque nomen novimus inclitum,
PALAESTRA, felices honores
Carminibus resonamus almis.

Haud fine sueto carminis indigens
Finem labori maestitia gero,
Duci PALAESTRAE opto petenti
Ut placeat reserare portam.

JESUS FRANCO, O. F. M.
Philosophiae alumnus
Hellinii, in Albasitensi provincia.

Miscentes utile dulci

Homo impūdens in suae domus janua litteris inscripserat:

«*Nihil unquam nequam hac porta ingrediatur*».

Quod cum Diogenes vidisset:

—«Qua vero, inquit, dominus ingreditur?».

Pueri e ludo exeunt. Paulinus vero in via statuam miratur, ab artifice confectam, quae paucis ante diebus informis lapis videbatur. Nunc meminit illud magistri:

LABOR OMNIA VINCIT.

Esto, puer tenax propositi in rebus inceptis, et praemium tibi certo erit.

— *Quae te docet magister, Antoni?*

— *Nihil omnino me docet, de omnibus interrogat.*

P. CODINA

Xantippa, Socratis conjux, cum plurimum in eum clamasset, et magnam deinde aquae pateram injecisset, a philosopho aequissimi animi hoc accepit responsum: «Certe, post tonitrua pluviam arbitrabar adventuram».

RAIMUNDUS TORNER

www.culturaclasica.com

Quid hoc anno a Magis suo festo die exspecto?

Omnes scimus magnum diem festum *Magorum* appropinquare. Dies qui et maxima animi gaudia et optata dona nobis afferet.

Etenim solemus ab illis tribus Viatoribus ab Oriente venientibus petere ut singularibus donis nos munĕrent non modo corporibus sed animis praesertim.

Quod ad me attinet, credo animum pluris esse quam corpus et commune bonum privato praestare. Et ideo spero fore:

Hi Magi ab Oriente advenientes vobis pueris et adulescentibus bonum et pacem afferant cunctisque supernis donis cumulent!...

—Ut hi tres Viatores ad divini Redemptoris cunabula homines pertrahant, ut ipsum intuentes se ad superna et caelestia recreatos esse intellegant;

—Ut populis, familiis omniumque animis pacem adferant; pax enim est donum inaestimabile a Domino hominibus datum, sine quo feliciter vivere non possumus.

—Tandem ut vera animorum societate strictoque fraternitatis vinculo homines conjungant ut omnes mutuo nos amemus et aliis quoque deserviamus, nam, ut ait Cicero, *non nobis solum nati sumus.*

Uno verbo, ut omnes Domini stellam in vitae occasu fulgēre percipiant, et Domini Jesu regnum cunctis terrae locis diffundatur, nam amoris regnum et pacis est.

GABRIEL A. GAITÁN MÉNDEZ
Bogotae, in Seminario, alumnus sexti cursus
In certamine Latino laude ornatus

AD SALTUM · EQUI

SU	RE	UM	BI
EST	MA	IM	RA
MUM	PE	SI	RI
■	PE	XI	■



—Inspice sitne aliquid retro.
—Nihil omnino.

AENIGMA:

In medio pelago ero,
nec Deo neque universo neque inferis
me submittam,
inter haec omnia tamen semper ero.

Vultus imago animi *(Cic.)*
Veritas odium parit *(Terent.)*

www.culturaclasica.com

Canis lupo callidior

Lupus cum, fame laborans, cani valde saginato occurrisset: «Te, inquit, pinguedine explodere, memet autem fame confici».

—Cui canis: «Ditissimi sum domini custos. Ille mihi reliquias cibi largitur. Ita sane venter expletur. Tibi idem accidet si mecum manseris».

Hujusmodi gratam rem lupus libens nullo modo recusavit. Cum vero torquem canis vidisset: —«Quid hoc, inquit, sibi vult?

—Nugae sunt. Nimis strenuum famuli saepe me alligant.

—Ergo non es liber? Tunc, o bone, tibi non invideo. Catenis libertatem antepono.

—Ego vero reliquias fami tua ilia voranti, respondit canis.

PUER, INTELLEGIS QUAE LEGIS?

Solutiones

(Cfr. PALAESTRA LATINA, 1957, fasc. III, p. 188)

AENIGMA VERBORUM. — *In transversum:* **A.** Pus. — *B.* P. Te. — *C.* Al. R. — *D.* Inarsi. Nux. — *E.* Me. Otus. Se. — *F* A. V. Os. Ain. — *G.* Pan. Sin. Altile. — *H.* In. Miti. Snaiv. — *I.* O. Lavi. Io. Ots. Ne. — *J.* Adii. Umbo. I. Nex. — *K.* A. Urbica. H. — *L.* Lv. Iuturna. — *M.* Eia. Iuliae. — *N.* P. Si. — *O.* Et. S. — *P.* Suo.

Ad perpendiculum: 1. Pio. — 2. An. — 3. N. Ld. — 4. Ima. Maiale. — 5. Ne. Sivi. Vi. — 6. A. Viti. U. A. — 7. Paro. Ni. Uri. Pes. — 8. P. Isto. Imbui. Tu. — 9. Ut. Ius. Obitus. O. — 10. Ser. S. As. Oculis. — 11. N. Alno. Ari. — 12. Usitati. Na. — 13. Xeniis. Hae. — 14. Lv. N. — 15. E. Ne. — 16. Lex.

SALTUS EQUULEI

Iracundia leones adjuvat, pavor cervos, accipitrem impetus, columbam fuga (SEN.).

AENIGMA VERBORUM



In transversum: a) Vincio. Placo. b) Interjectio. Rursus fila duco. Praepositio. c) Consonans. Emporia ubi caro venibat. Praepositio. d) Furor *(versis litteris).* Consonans. Vocalis, Imperator. e) Cornus. Cycnus. f. Litterae e verbo «viti». Litterae e verbo «rivi». g) Deus qui de Gallorum adventu Romanos admonuit. Progredere. h) Neque *(versis litteris).* Vocalis. Perge. Diligo *(versis litteris).* i) Vocalis. Qui parentes filiis privat. Consonans. j) Adverbium. Expellis. Pronomen personale *(nom.).* k) Exsequor munus. Nutries.

Ad perpendiculum: 1) Tolle. Convenio. 2) Praepositio. Opinatae. Praepositio. 3) Consonans. Rapaci. Praepositio. 4) Precare. Praepositio. Vocalis. Sonte. 5) En. Succede. 6) Pronomen personale *(acus.).* Atque. 7) Lavo. Leni. 8) Phoebus. Consonans. Perge. Litterae e verbo «Ossa». 9) Praepositio. Decoror. Consonans. 10) Praebeo. Saepiam. Pronomen personale *(acus.).* 11) Repagula *(sing.).* Strenue labora *(versis litteris).*

ANTONIUS ANDRÉS

Non est corona sine sudore
Jucundi acti labores
Det tibi Deus multos annos

www.culturaclasica.com

Cerei liturgici **GAUNA** ad cultum divinum.

Insigne publice inscriptum pro «MAXIMA» et «NOTABILI»
(marca registrada)

Capitula **GAUNA** ad cereos.

Summa parsimonia — Summa mundities.

Lampades cereae **GAUNA** legitime consignatae
(patentadas)
ad Smum. Sacramentum, Vota, Domesticas Visitationes.

Hae lampades canoni 1271 accommodantur
quibus et lumen TABERNACULO tutum redditur

SUMMA SECURITAS – PROSPER EXITUS

Rem experire. – Statim pete a Ceraria:

NIETOS de QUINTIN RUIZ de GAUNA

(Domus anno 1840 condita)

Loculus tabellarius (apartado) 62 - M. Iradier, 44 - VITORIA (in Hispania)

VERBUM DEI - Sacrae Scripturae explanatio

VERBUM DEI aditum aperiet via et ratione ad Sacrae Scripturae studium.

VERBUM DEI propriam Sacris Verbis subjectam vim praebet et sensum, eo quod semper linguis primigeniis nititur.

VERBUM DEI tempora ordine ita digerit ut perfacile res et facta proprio aetatis lumine perspiciantur.

VERBUM DEI doctrinam divinitus patefactam, ex ipsis Sacris Eloquiis, ad mentem Sanctae Romanae Ecclesiae explanat.

VERBUM DEI elucidat atque illustrat quae Sacris Bibliis et praesertim libris «Sapientialibus» ad animi cultum et perfectionem continentur.

VERBUM DEI mente conceptum est et effectum opera et studio XLIII peritissimorum nobilissimorumque in S. Scriptis interpretandis doctoribus, qui omnia in eo opere conficiendo collegerunt quae hodiernis investigationibus patefacta sunt ac confirmata.

Totum hoc opus 4.000 fere paginas complectens et chartas geographicas et tabulas quibus oculis legentium conspectus rerum exhibeatur, et copiosos indices, quattuor voluminibus continebitur (Vol. 23 ad 26 **Bibliothecae Herderianae**), linteo ligatis auroque distinctis.

Volumen I et II (Vetus Testamentum) et III (in Evangelia commentaria) veneunt **pesetis 300.**

Vol. IV sub prelo est.

EDITORIAL HERDER. - Av. José Antonio, 591 - BARCELONA

www.culturaclasica.com

ESCELICER, S. A.

OFFICINA LIBRARIA ESCELICER libros edidit in usum alumnorum qui linguis Graecae et Latinae in Seminariis ecclesiasticis, in Scholis quae Mediae dicuntur, in Universitatibus vacant.

CADIZ	MADRID	SAN SEBASTIAN
Apartado, 86	Olózaga, 6	Paseo de Colón, 4

SERIES GRAECA:

His libris lingua Graeca dilucide et paedagogice traditur.

GRAMMATICAE:

MORFOLOGÍA GRIEGA, vol. 1: *Praecepta et etymologia*, 2.ª ed.
» » vol. 2: *Exercitationes scholares et anthologica*, 3.ª ed. 102 pg.
» » vol. 2: *Exercitationum scholarium liber in usum magistrorum.*
SINTAXIS GRIEGA, vol. 1: *Praecepta grammatica*, 142 pg.
» » vol. 2: *Exercitationes et anthologica*, 142 pg.

Quos libros paravit Jacobus MORILLO, S. J.

SCRIPTORES CLASSICI:

PLATÓN, *Critón*. Textus Graecus, cum introductione et notulis, a G.ª Evangelista, S. J. paratus.

TUCÍDIDES, *El Epitafio de Pericles* et *La peste de Atenas*. Textum Graecum introductione et notulis auxit Aloisius Enrique, S. J., 144 pg.

ANACREONTE, *Anacreónticas*. Selecta carmina edidit notulisque instruxit P. J. Fantini, S. J., pg. 100.

S. J. CRISÓSTOMO, *Homilia en defensa de Eutropio:* introductio, textus, notulae adulescentibus parata a Julio Fantini, S. J., pg. 46.

S. J. CRISÓSTOMO, *Homilia en defensa de Eutropio:* Textus Graecus ex SOMMER desumptus, introductione et commentario auctus, curante J. Fantini, S. J., pg. 48.

HOMERO, *Iliada Canto IV*. Textus Graecus, introductione et notulis instructus, curante Henrico Basabe, S. J.

SERIES LATINA:

CICERÓN, *Defensa de Ligario*. Curante Francisco Aparicio, S. J., pg. 50.

HORACIO, «*Odas*». l. IV. Heliodorus Fuentes, S. J., paravit, pg. 110.

CICERÓN, *Su época, su vida y su obra*. Scripsit J. Guillén. In hoc libro vita et acta Ciceronis scite describuntur.

MONTESINOS ABELLÁN, M. I. S. D. José, *Gramática histórica latina*. Utilissimus sane liber ad intimam linguae Latinae et Hispanicae cognito mean quicrendam.

www.culturaclasica.com

Ubi didicisti linguarum exterarum sonos perfectissime emittere?...

...id a te quaerunt amici intra quinque menses, si... **Consociationi ad linguas ediscendas inter Hispanos usu et experimento omnium probatissimae** te commiseris.

Ratio et Via

Polyglophone CCC

per sonos et imagines tibi UNICAM dat opportunitatem pure et emendate loquendi

ANGLICE - GALLICE - GERMANICE

atque discendi LITTERAS ANGLICAS et LITTERAS GALLICAS.

CUM DISCIS PHONOGRAPHICIS
in grandibus vel minutis sulcis exactissime incisis.
SINE DISCIS: Textus jucundissimi et faciles imaginibus collustrati.

Phonographum si non habueris, suppeditabimus.

STATIM A NOBIS EXQUIRE - PROSCRIPTA GRATIS MITTEMUS

Consociatio ad animi Cultum Commercio epistularum adipiscendum **CCC**

CENTRO DE CULTURA POR CORRESPONDENCIA

Apartado 108 - SAN SEBASTIAN

Administro a publica Institutione probata numeris 35, 35, 37

Procuratores: MATRITI, Preciados, 11 **BARCINONE, Avda. de la Luz, 48**

www.culturaclasica.com

OFFICINA LIBRARIA SPES

Avda. del Gmo. Franco, 259 — Tel. 25 08 75 - Telegrammata EDISPES

BARCELONA (13)

Corpus quod VOX inscribitur:

DICCIONARIO GENERAL ILUSTRADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA. — Alteram editionem quam R. Menéndez Pidal praefatione ornavit, iteratis curis S. Gili Gaya recognovit. XL - 1816 pag.

DICCIONARIO MANUAL ILUSTRADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA. — Recognovit S. Gili Gaya. VIII - 1162 pag.

DICCIONARIO ABREVADO DE LA LENGUA ESPAÑOLA. — Recognovit S. Gili Gaya. Lexicon in usum puerorum impuberum ad regulas morum et disciplinae paedagogicae compositum. Scitis picturis versicoloribus ornatum.

DICCIONARIO MANUAL FRANCÉS ESPAÑOL, ESPAÑOL-FRANCÉS, (tabulis grammaticis instructum). — Altera editio 1956.

Corpus quod SPES inscribitur:

DICCIONARIO ILUSTRADO LATINO ESPAÑOL, ESPAÑOL-LATINO, cui epitome grammaticae Latinae adjicitur. Praefationem scripsit V. García de Diego. Retractavit et sermonis ecclesiastici vocabulis auxit Jos. .Mª Mir, C. M. F. XVI-752 pag 3ª editio.

DICCIONARIO ABREVIADO LATINO-ESPAÑOL, ESPAÑOL-LATINO, 312 p., 3.ª editio.

DICCIONARIO LATINO-ESPAÑOL, ESPAÑOL-LATINO, ab Eustachio Echauri exaratum. 830 pag., 7.ª editio.

DICCIONARIO GRIEGO-ESPAÑOL, cum complemento formarum verbalium et epitome grammatica, a cl. vv. Pabón-Echauri conscriptum. XX-636 pg. 3.ª editio.

* * *

CURSO SUPERIOR DE SINTAXIS ESPAÑOLA, a S. Gili Gaya exaratus. 312 pag. 5.ª editio.

COMPENDIOS VOX DE DIVULGACIÓN FILOLÓGICA, a S. Gili Gaya composita:

Ortografía práctica; Resumen práctico de gramática española; Nociones de gramática histórica española; Iniciación en la historia literaria española.

Quae Summaria in unum volumen conglutinata veneunt.

Sub prelo sunt

VOX — Diccionario de Sinónimos de la Lengua Española.

VOX — Diccionario Inglés-Español, Español-Inglés.

VOX — Diccionario Enciclopédico compendiado ilustrado. Tria complectetur volumina

VOX - SPES: insignia ubique terrarum cognita et magni habita

www.culturaclasica.com

BIBLIOGRAPHIA

HOMERO. — *La Iliada*. Estudio preliminar y versión rítmica por D. Daniel Ruiz Bueno, Catedrático de lengua griega. Tomos I, II, III. Librería y Casa Editorial Hernando, S. A. Madrid, 1956.

Pauci in Hispania aptiores ad convertenda Homeri poëmata ex Graeco in Hispanicum sermonem quam Daniel Ruiz Bueno Pbter., nam pauci utramque linguam et Graecam et Hispanicam ita callent, ita penitus norunt ac sapiunt ut hic clarus scriptor, qui nos hac nova Iliados interpretatione donavit delectavitque. Tribus voluminibus haec Ilias continetur Bibliothecae Classicae «Hernando». Quorum primo praeit longior et eruditione plena introductio una cum vita Herodotea, etiam Hispanice interpretata. His fere 170 paginis quaestionem illam Homericam denuo agitat et solvit palam praedicans Homerum fuisse auctoremque esse poëmatum quibus nullum praeclarius unquam fuit. Modus interpretandi non omnibus aeque placet. Nam interpretatio neque oratione soluta facta est neque proprie vincta. Oratio soluta valere non potest ad maximum poëtarum interpretandum (ita sentit P. Daniel); sed oratio vincta ad scopulos offendit qui vix vitari possunt. Quare auctor medium ingressus iter, versionem rhythmicam se fecisse fatetur, rhythmum vero e versu Hispanico hendecasyllabo originem detraxisse. Nam versus hendecasyllabus —etsi brevior hexametro— positam in se habet vim qua facile in alios rhythmos breviores vel longiores resolvatur. Sed cum hi rhythmi in hac versione per signa typographica vix notentur, lector facile veluti molestia quadam affectus, sentit quod sibi accideret si scalas descendentem gradus deficeret. Mihi legenti initio aliquantulum offensioni fuisse et rhythmos non notatos et verba quaedam «archaica» plane profiteor. Sed id etiam profiteri teneor, cum legerem magis magisque delectatum esse. Lingua et dicendi genus, quo usus est Dr. Daniel Ruiz Bueno, aptissime inservit ad propositum obtinendum, quod fuit Homerum Hispanice loquentem denuo inducere, Homerum dico numerose loquentem oreque rontundo. Hancque futuram esse puto opinionem ejus qui ante quam opus leget, prologi verba pag. 137-146 legerit, ubi Interpres modum suum et rationem exponit.

P. Danieli gratulamur quod opus exegit —etsi non perfectum— dignum tamen quod maximi fiat, et veteri versioni ab Hermosilla olim stricte compositae omnino substituatur in corpore *Colección Clásicos Hernando*.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

KARL BUECHNER. — *P. Vergilius Maro, Der Dichter der Roemer*. Alfred Druckenmueller Verlag in Stuttgart, 1957.

Primo aspectu est hoc volumen 472 columnarum, quarum quamlibet haud mediocri mole constare dicas: paucis, vera de re bibliotheca eaque magni momenti in studio P. Vergilii poëtae, principis poëtarum Romanorum. Cum vitam inciliti Mantuani, tum totum ejus opus conscriptum quod ad nos usque pervenit, in unum omnia redigens, clarus Professor K. Buechner ibi excutit. Et vita et opus Vergilii poëtae considerantur in se et ratione habita de omnibus scriptis quae ad poëtam referuntur.

Totum hoc opus vergilianum quasi his tribus fundamentis innititur: «vita», «opera», «consectaria» vel in saeculorum tractu redundantia. Haud ulla latebra, ni multum fallor, vitae et operis Vergilii poëtae, quae in hoc eruditissimo libro professoris K. Buechner non innotescat.

Quod fortasse in hoc doctrinae et studii monumento desiderabis erit index quo tantam rerum copiam facilius digere et tractare possis. Ceterum, id statim in hoc libro percipies clarum professorem Buechner se totum contulisse in principe poëtarum romanorum assiduo studio excolendo.

P. PHILOPONUS, C. M. F

www.culturaclasica.com

SCRIPTORES CLASSICI LATINI

COMMENTARIIS ILLUSTRATI

«CLASSICI LATINI COMMENTATI»

in Aedibus Jo. Bapt. Paraviae et Sociorum Augustae Taurinorum

Ciceronis M. Tulli, *In Marcum Antonium Oratio Philippica XIV;* commentariis illustravit D. FOBELLE — constat L. 240

Ciceronis M. Tulli, *Tusculanarum Disputationum liber secundus;* commentariis illustravit A. GRILLI — constat L. 550

Ciceronis M. Tulli, *Somnium Scipionis* (ex libris *de Re publica);* commentariis explicavit A. BARIGAZZI — constat L. 480

Livii Titi, *Ab Urbe condita liber XXX;* explanavit commentariis A. VINASSA, — constat L. 450

Taciti Cornelii, *Historiarum liber secundus;* explicavit F. DEL CHIARO — L. 580

Taciti Cornelii, *De origine et situ Germanorum liber;* explicavit M. SCOVAZZI — L. 460

Taciti Cornelii, *Ab excessu divi Augusti,* sive *Annalium liber I;* commentariis illustravit L. CANESI — constat L. 700

Vergilii Maronis *Aeneidos Liber quartus;* explicavit A. MAGGI — L. 270

Vergilii Maronis, *Aeneidos Liber quintus;* explicavit A. MAGGI — L. 280

Vergilii Maronis, *Aeneidos Liber sextus;* explicavit A. MAGGI — L. 300

Vergilii Maronis, *Aeneidos Liber septimus;* explicavit A. MAGGI — L. 280

Vergilii Maronis, *Aeneidos Liber octavus;* explicavit A. MAGGI — L. 270

G. B. Paravia & C. Corso Racconigi, 16 TORINO (Italia)

Ex officina typographica: F. Camps Calmet — Tarregae (in Hispania)

www.culturaclasica.com